INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA
# AD FONTIUM EDITIONES
# LXXV

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO AD POLONIAM SPECTANTIA XL PARS

**Ostpr. Fol., vol. 43, 46, 57, HBA, B, K. 1190, a. 1567-1568**

ediderunt

CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1991

# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
# VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani.* (Ed. chirotypica, exhausta).

---

ANTEMURALE, I-XXVIII, Romae, 1954-1985

---

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae.* Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. 1961.

IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.

V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana.* Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483, doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.

VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb., ang. ant., 1962.

VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.

VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.

IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.

X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.

XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.

XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., 1964.

XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.

XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, I pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab., 1965.

XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1587), 5 tab., 1966.

XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab., 1966.

XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab., 1967.

XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab., 1968.

XIX — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VI pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+429, 121 doc. (A.D. 1556-1620), 4 tab., 1968.

XX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, II pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 266 doc. (A.D. 1577-1696), 4 tab., pp. VI+324, 1969.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA
# AD FONTIUM EDITIONES
# LXXV

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO AD POLONIAM SPECTANTIA XL PARS

**Ostpr. Fol., vol. 43, 46, 57, HBA, B, K. 1190, a. 1567-1568**

ediderunt

CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1991

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

## INDEX RERUM


| | | |
|---|---|---|
| Introductio . . . . . . . . . . . . . | Pag. | VII |
| Abbreviationes . . . . . . . . . . . | » | IX |
| Textus . . . . . . . . . . . . . . | » | 3 |
| Elenchus epistularum . . . . . . . . | » | 123 |
| Index personarum et locorum . . . . . . . | » | 129 |

# INTRODUCTIO

*Hoc LXXV volumine* Elementorum ad Fontium Editiones, *seriei vero nostrae «Regiomontanae» parte XL, ad finem deduximus et explevimus consilium nostrum, a. 1973 initum, publici iuris faciendi et typis edendi ex una parte omnia litterarum monumenta, in Tabulario Regiomontano (a.1980 Gottinga Berolinum translato) asservata, quae annos 1525-1572 complectuntur et quae ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae in Ducatum Prussiae, ad Albertum et Albertum Fridericum duces, et ad eiusdem Ducatus proceres atque incolas missa erant, ex altera vero divulgandi omnia scripta et documenta, quorum concepta et exemplaria in eodem Archivo custodiuntur, quae annos 1525-1568 comprehendunt et quae ex Ducatu Prussiae in Poloniam et Lithuaniam illo temporis spatio pervenerant. Lectorem accuratius edoceri cupientem de variis Tabularii Regiomontani sectionibus, in quibus scripta hoc temporis intervallum complectentia asservantur, ad Introductionem I voluminis seriei «Regiomontanae»* («Elementorum» *autem voluminis XXX) remittimus, ubi fusius de hac re disserere placuit. Hic tantum memorare liceat primam editionum nostrarum partem (vol. XXX-XXXII, XXXIV-L) ab ordinis Theutonicorum in Prussia dissolutione et Ducatus Prussiae fundatione (a.1525) incipere et morte Sigismundi Augusti Poloniae regis (a.1572) concludi, alteram vero (vol. LI-LVII, LX-LXIII, LXV-LXXV) eodem 1525 a. inchoari et morte Alberti in Prussia ducis (a.1568) ad finem perduci.*

*Vix necessarium nobis addere videtur nos longe non omnia scripta ad Poloniam spectantia, quae in Archivo Regiomontano asservantur, his voluminibus nostris publici iuris fecisse, cum permulta adhuc exstent documenta res Polonicas attingentia, in aliis tabularii sectionibus custodita, quae editorem suum exspectabunt.*

*Ad hoc ultimum seriei nostrae volumen quod attinet, de argumentis in eo tractatis eadem fere repetenda essent, quae in Introductione voluminis praecedentis iam dicta sunt. Iam primo tamen oculorum obtutu facile perspici potest volumen hoc omnibus praecedentibus multo brevius esse, cum ne integros quidem annos duos comprehendat. Complectitur enim non nisi totum annum 1567 et anni 1568 menses tres, et clauditur litteris Ducatus Prussiae gubernatorum ad proceres Polonos et Lithuanos die 25.III.1568 datis, illos de obitu ducis Alberti et*

*uxoris eius, ducissae Annae Mariae, eodem 20 die Martii a.1568 subsecuto, certiores facientibus. Ex 163 epistulis in eo contentis 49 ad regem Sigismundum Augustum, 17 ad Petrum Myszkowski, R.P. vicecancellarium, 12 ad Ioannem Chodkiewicz, Samogitiae capitaneum generalem et gubernatorem Livoniae, 11 ad Eustachium Wołłowicz, M.D.L. thesaurarium, reliquae vero ad alias 70 et supra personas datae sunt.*

*Reliquum est, ut Tabularii Regiomontani moderatoribus, praesertim autem Doctori Bernardo Jähnig, eiusdem Tabularii Consiliario, pro eximia ipsorum hospitalitate atque humanitate, nobis toto hoc temporis spatio exhibita, maximas quas possumus iterum agamus gratias.*

*C.L. et L.O.*

## ABBREVIATIONES

| | |
|---|---|
| El. | Elementa ad Fontium Editiones |
| H.B.A. | Herzogliches Briefarchiv |
| M.D.L. | Magnus Ducatus Lithuaniae |
| Ostpr. Fol. | Ostpreussische Folianten |
| R.P. | Regnum Poloniae |
| S.l. | Sine loco |

# TEXTUS

# 1567

*N. 6027*

*S.l., 1.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro heredibus Henrici a Dohna, quorum praefecturam in Livonia sitam, Novum Molendinum nuncupatam, eidem Henrico* «ob praeclara eius merita» *a magistro Livoniae (nunc duce Curlandiae) hereditario iure concessam, equites Ioannis Chodkiewicz invasisse dicuntur, intercedit et rogat, ut rex de hoc eorum negotio cum Ioanne Chodkiewicz agere velit, quo fratres et soror supradicti Henrici a Dohna eam hereditatem integram pacifice possidere queant.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1083.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 585-587).*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem in recenti habere memoria me superiori tempore de negotio Burggraviorum et Baronum a Dohna ratione praefecturae cuiusdam in Livonia, Novum Molendinum nuncupatae, quae ipsi Henrico a Dohna ob praeclara ipsius merita ab Illustri Curlandiae Duce[1] tum, cum Magistrum adhuc Livoniae ageret, hereditario iure concessa est, aliquoties ante hoc tempus literas dedisse. Ad quas S. Regia Vestra Maiestas se huius familiae, fide, nobilitate et omni virtutum genere praestantis, rationem esse habituram curaturamque, ne quicquam Doninorum familiae praeter ius et aequum adimeretur, clementer respondit. Perferunt autem nunc ad me ipsius Henrici heredes, equites Magnifici ac Generosi amici nostri, Domini Iohannis Kotkiewitz[2], Magni Ducatus Lithuaniae Supremi Marschalci, Samogitiae Capitanei et per Li-

voniam Campiductoris Generalis, ea bona pobulabundos invasisse et agrestes ibidem habitantes, rebus omnibus spoliatos, metu terroreque adeo complevisse, ut ipsa demum vastitas propediem sit consequutura. Etsi autem ea omnia iniussu et inscio Domino Samogithiae Capitaneo fieri non dubitant, petierunt tamen a me maiorem in modum, vellem ea de re ad S. Regiam Maiestatem Vestram denuo perscribere, utque eam donationem, iure successionis ad se devolutam, tectam ac sartam et ab omnibus eiusmodi iniuriis liberam retinere possent, demisse apud S. Regiam Vestram Maiestatem intercedere. Quod ei familiae, quae de his terris optime semper merita est, negandum esse non existimavi.

Oro itaque S. Maiestatem Vestram Regiam quam vehementissime, dignetur sibi hanc familiam, ex qua multi viri fortes semper prodierunt, quorumque opera in administrandis Ducatus mei negotiis, non sine magno et Regiae Maiestatis Vestrae et meo commodo, quotidie utor, clementer habere commendatam et vel manibus ipsius Henrici, qui in S. Regiae Maiestatis Vestrae cubiculo ac quotidianis servitiis a puero educatus, cum equitum turma a S. Regia Vestra Maiestate praeterito tempore in Livoniam missus tormento ictus concidit, hoc dare, ut fratres ac soror ipsius hanc hereditatem integram minimeque turbatam, uti ius et aequitas postulant, queant possidere. Quod se ita consequuturos arbitrantur, si S. Regia Vestra Maiestas ea de re Domino Samogithiae Capitaneo, qui iam apud S. Regiam Vestram Maiestatem esse dicitur, clementer mandare non fuerit dedignata. Id ego debitis meis officiis per omnem occasionem sedulo conabor promereri. Heredes autem ipsius Henrici in eam curam, ne S. Regiam Vestram Maiestatem aliquando beneficiorum suorum paenitere possit, totos intentos fore minime diffido. His S. Regiae Vestrae Maiestati annum hunc incipientem cum plurimis subsequuturis felicem ac faustum esse ardenti pectore precor. Datae.

*In folio separato:* Regi Poloniae, 1 Ianuarii MDLXVII.

1) *Gottardus Kettler.* 2) *Chodkiewicz.*

*N. 6028*

*S.l., 1.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*pro baronibus a Dohna ratione praefecturae Novum Molendinum nuncupatae intercedit et rogat, ut negotium eorum apud regem ita pro-*

*movere velit,* «quo... hereditatem suam integram et minime inquietam queant retinere» *(cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 588-589).*

*N. 6029*

*S.l., 1.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Samogitiae [Ioanni Chodkiewicz]*
*pro heredibus Henrici a Dohna ratione praefecturae eorum in Livonia, Novum Molendinum nuncupatae, quam equites capitanei, domino absente praesidii causa relicti, hostiliter diripuerunt et agrestes ibi habitantes rebus omnibus exutos metu et terrore compleverunt, intercedit et rogat,* «ut equites absque mora ista praefectura excedere iubeantur, nec in posterum in miseros agrestes adeo crudeliter agere ausint» *(cfr. NN. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 589-591).*

*N. 6030*

*S.l., 6.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*ad litteras eius, quibus de dolo mercatorum et vectorum ex Ducatu Prussiae vectigalia regia subterfugientium querebatur et postulabat, ut ad eiusmodi fraudes comprimendas camera telonearia Magni Ducatus Lithuaniae Insterburgi constituti permitteretur, respondet telonei huiusmodi aedificationem a communibus pactis alienam esse videri, defraudatores vero vectigalium facile observari et coerceri posse, si in viis, quae ex Lithuania Insterburgum declinent, custodiae disponantur.*

*(Schedula: excusat se, quod manu propria litteris non subscripsit).*

*Cfr. El. XXXII, NN. 1046, 1055.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 592-594).*

Serenissime Rex *etc.*
Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, quibus de dolo mercato-

rum et vectorum inusitatis viis vectigalia S. Regiae Vestrae Maiestatis subterfugientium ad me perscribit, clementerque a me postulat, ut ad observandas deprehendendasque eiusmodi fraudes in oppidulo Insterburgensi, quo potissimum deflectere consueverint, cameram aliquam constitui permittam, debita reverentia accepi. Intellexi autem rei postulatae eam esse conditionem, ut eiusmodi aedificatione concessa aliquid a pactis alienum (ut de incommodis hanc novitatem consequuturis nihil dicam) videar admisisse. Peto itaque a S. Regia Vestra Maiestate enixe, dignetur rationibus hac in parte suis alio pacto clementer providere meque hoc onere, pro sua in me singulari benevolentia, benigne sublevare.

In defraudatores autem observari, nec impune evadere quenquam facile arbitror posse, si custodiae in cunctis viis, quae a theloneis Lithuanicis Insterburgum versus declinent, diligenter disponantur. Quo rumore increbrescente negotiatores omnes, desperata elabendi facultate, iusta via merces vecturos minime est dubitandum. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem vehementer etiam atque etiam exoro, ne, quod mei rationem hac in re haberi contendam, aegre velit ferre, sed sic plane statuere me in ceteris omnibus voluntati S. Regiae Maiestatis Vestrae animo libentissimo esse gratificaturum. Quam diu quam commodissime valere omniumque rerum prosperrimis frui successibus exopto. Datae.

Schedulae literis iniectae

Non potui his literis, cum ex dextra graviter laborem, manu mea subscribere. Quam ob rem demisse oro, velit S. Regia Vestra Maiestas excusatum me habere et his nihilominus fidem indubitatam tribuere.

Redditae mihi sunt adhuc unae eiusdem prorsus argumenti et tenoris cum prioribus literae, nisi quod hae ad Liccam, illae Insterburgum versus defraudatores deflectere significabant. Quam ob rem alio responso indigere mihi non videbantur.

*In folio separato:* Regi Poloniae, VI Ianuarii anno etc. 67.

*N. 6031*

*S.l., 12.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*iterum intercedit pro subdito suo Valentino Stolle, causam de heredita-*

*te defunctae sororis suae habente (quae hereditas* «fisci Gedanensis praeposito sinistre de ea... referente, Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi etc. donata sit», *et rogat, ut rex miserum hunc hominem* («ulcerosum et famelicum hunc Lazarum... micas de mensa S. Regiae Vestrae Maiestatis decidentes exorantem») *quoquo modo in hac extrema inopia et egestate sua sublevare dignetur (cfr. El. LXIX, NN. 4830, 4915, 5046, 5086).*

*(Schedula: dolore manus dextrae se excusat, quod manu propria litteris subscribere non potuit).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 594-596).*

*N. 6032*

*S.l., 13.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*pro Zacharia Stopio, defuncti fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, olim medico, nunc etiam in Livonia commorante, cui idem defunctus frater suus* «aliquot agrestium familias donativi nomine benigne promiserat», *sed propter mortem donationem eiusmodi ad effectum deducere non potuit, intercedit et petit, quo medicus iste absque longiore dilatione consequatur, quod ei ab archiepiscopo defuncto promissum erat* («cum nunc universa eius provinciae administratio Magnificentiae Vestrae demandata sit... atque nunc ea res penes Magnificentiam Vestram esse videatur»).

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 597-598).*

*N. 6033*

*S.l., 13.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Carolo IX regi Galliae et, mutatis mutandis, duci Lotharingiae [Carolo IV]*
*Ioannem Brandium, adulescentem Regiomontanum, Lutetiae Parisiorum litteris operam navantem, commendat et rogat, ut si forte necessitate aliqua compulsus ad eum confugerit, studia eius* «pro regia sua munificentia ad unum atque alterum annum benigne iuvare non dedignetur»).

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 57, f. 599.*

*N. 6034*

*S.l., 23.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, palatino Posnaniensi,*
*dolet, quod propter temporis brevitatem petitam partem uri ei mittere non possit, in cuius locum* «crus uri posterius cum capite cornibus et ceteris integro» *mittit.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 600-601).*

Magnifice ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Cum exposuisset nobis vir egregius iuxtaque doctus Christophorus Arndt, Legum Doctor, Magnificentiam Vestram de oppiparo convivio ad proxima bachanalia instituendo, ad quod intimum quenquam amicorum suorum invitatura sit, cogitare, postulassetque a nobis verbis Magnificentiae Vestrae, ut ei uri aliquam partem, quam ex ferinis carnibus fere solam desideraret, transmitteremus, nihil sane magis dolebamus, quam quod serius ea de re ad nos perferretur, quam quod Magnificentiae Vestrae ita possemus gratificari, uti quidem vehementer cupiebamus. Si enim de instituto Magnificentiae Vestrae maturius cognovissemus, plane daturi fuissemus operam, ut Magnificentiae Vestrae, qua erga ipsam voluntate existimus, non tantum pars uri, sed urus integer mitti potuisset.

Cum autem temporis brevitas iustum ad venandum spatium non concedat, id quidem, quod in promptu fuit, Magnificentiae Vestrae mittere voluimus, crus scilicet uri posterius cum capite cornibus et ceteris integro, etiam atque etiam amice petentes, ut Magnificentia Vestra, quicquid id est, boni consulat seque a nobis plurimum amari statuat, cui quidem non tantum in rebus tam exiguis, verum in maioribus etiam, quoad recte potuerimus, animum nostrum bene merendi cupidissimum sumus comprobaturi. Interea maiorem in modum precamur, ut Magnificentia Vestra recte valeat et constitutum convivium cum amicis suis multa cum laetitia ac oblectatione feliciter transigat, hacque carne ferina salva fruatur. Datum.

*In folio separato:* Domino Lucae Comiti a Gorka, XXIII Ianuarii anno MDLXVII.

*N. 6035*

*S.l., 28.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Bielewicz, tivuno Ejragolensi,*
*litteras eius, quibus de clade a Suecis accepta se certiorem reddebat et*

*equo aliquo militari donari petebat, se accepisse nuntiat eique hoc nomine condolet, constantiam vero eius et alacritatem* «pro tranquillitate et salute patriae pugnandi» *laudat; equum, quem expetebat, licet ipse equorum penuria nunc laboret, ei mittit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLI, N. 1974.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 601-602).*

*N. 6036*

*S.l., 29.I.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Matthiae Pietkiewicz* (Pietzkowitz), *pocillatori regio et capitaneo in Skirstymoń* (Kirschmemel),
*pro subdito suo Erasmo Baumgart, cuius profugus quidam in districtu Kirschmemelensi resedisse dicitur ibidemque hucusque commorari, intercedit et rogat, ut subdito suo profugum praedictum extradere et restituere velit (cfr. N. LXXIV, N. 5967).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, f. 603).*

*N. 6037*

*S.l., 2.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*duci de Montmorency [Annae], Galliae comestabili,*
*pro litteris eius, summo in se studio et benevolentia plenis, per nobilem quendam virum sibi missis, gratias agit atque ei vicissim amicitiam suam et benevolentiam defert.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 604-605.*

*N. 6038*

*S.l., 4.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro Potentia, Casparis Rosenhagen, civis Elbingensis, vidua, nunc in Regio Monte habitante, cui per 28 annos adversus Andream Lebal-*

*dum coram iudicio regio controversia est, et licet iam quattuor decretis regiis in causa hac sententia lata sit, ei tamen in hunc usque diem nondum satisfactum est, intercedit et rogat, ut miserae illi feminae secundum decreta regia tandem satisfiat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 606-607).*

*N. 6039*

*S.l., 7.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*respondet ad litteras regias de redemptione praefecturarum Jurborgensis et Nowavolensis et queritur de capitaneo regio Kirschmemelensi (Skirstymonensi), qui* «magna contentione et acerbitate verborum» *in colligendis annuis reditibus earundem praefecturarum se fraudis accusaverit, et rogat, ne rex permittat, ut fama et nomen suum a quovis temere deformetur; nuntiat praeterea aulicum regium, Christophorum Konarski, redemptionis dictarum praefecturarum causa ad se missum, ita discessisse, ut certus eiusmodi redemptionis terminus nullus constitui potuerit.*

*Cfr. El. XXXII, NN. 939, 1015, 1029.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 607-614).*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quum S. Regia Maiestas Vestra clementer a me postularet, ut praefecturis Georgenburgensi et Novavoliensi, ante annos aliquot mihi oppignoratis, recepta pecunia mea haud gravate cederem, ego quoque huic voluntati S. Regiae Maiestatis Vestrae, pro mea erga ipsam incredibili observantia, me non difficilem praebuissem, nihil certe providere potueram, quod huic tractatui molestiam aliquam allaturum esset. Verum praeter omnem opinionem in ipso actu cessionis faciendae accidit, quod Capitaneus Kirschmemelensis[1)], quem S. Regia Maiestas Vestra ei rei praefecit, magna contentione et acerbitate verborum reditus annuos istarum praefecturarum praeterito divi Martini festo a me acceptos esse improbavit, iisque non restitutis se cessionem non accepturum, sed re infecta discessurum palam contestatus est, satis contumeliose asserens me fraudulentius quovis Iudaeo (quo genere hominum nullum fallacius existimatur) cum S. Regia Vestra Maiestate egisse. Exigit igitur non tam collectarum pensio-

num necessitas, sed multo magis dignitatis et existimationis meae ratio, ut queribundus ea de re ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscribam, cuius quidem praeclara, illustria et amplissima testimonia de mea fide, studio et observantia adeo nota sunt, ut de iis nemo dubitare possit vel debeat.

Obtestor itaque S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum etiam atque etiam, det hoc non modo cognationi, quae cum S. Regia Vestra Maiestate mihi propinquissima intercedit, verum etiam omnibus anteactae vitae meae meritis, ut ne quis nomen meum, Dei immortalis beneficio a me prope ad extremum vitae diem cum laude deductum, impune tam libere queat attrectare, sed ut omnes intelligant eos, qui id committere audeant, rem praestare S. Regiae Vestrae Maiestati minime gratam. Neque enim in fraudem S. Regiae Vestrae Maiestatis census anni praeteriti ab incolis earum praefecturarum a me sunt exacti, sed quod S. Regia Vestra Maiestas ipsa de tempore exolutionis, quemadmodum id literis S. Regiae Vestrae Maiestatis ea de re ad me perscriptis ostendi potest, non satis fuerit certa.

Huc accedit, quod aulicus S. Regiae Vestrae Maiestatis, Nobilis ac Generosus Christophorus Konarski, eam ob rem ad me missus, ita a me discesserit, ut terminum certum numerandae pecuniae et redimendarum praefecturarum constituere nullum potuerit. Cum igitur tempus solvendarum pensionum annuarum venisset, ipsaque numeratio pecuniae pro redimendo pignore debitae adhuc incerta esset, ipsa me necessitas eo deduxit, ut pensionem exigerem atque reciperem.

Quod cum ita sit, non video quo iure infidelitatis vel fraudis argui queam, quod tum temporis, cum id fieri debuit, reditus et census annui a me sunt exacti. Ac ut de iure exacti huius census nihil dicam, nec merita mea, quae etsi pauca et perexigua, prompta tamen et parata in S. Regiam Vestram Maiestatem semper extiterunt, hoc unum sane silentio praeterire non possum me ista pecunia, S. Regiae Vestrae Maiestati superioribus annis in stipendium militis Germani mutuo data, et a me quidem pro commodo S. Regiae Vestrae Maiestatis et totius Magni Ducatus Lithuaniae magna cum difficultate et gravi cum usura, quam quotannis adhuc cogor persolvere, non absque insigni detrimento hucusque carere, nec tamen praeter solutionem ipsius summae quicquam inde expetere. Ad haec accedit, quod in gratiam S. Regiae Maiestatis Vestrae integro anno, antequam id facere tenebar, decedere de praefecturis illis oppignoratis facile permoveri me passus sum.

Quod si haec omnia tanti esse non videbuntur, ut bene meritus de S. Regia Maiestate Vestra dici queam, et insuper S. Regia Maiestas Vestra receptas illas pensiones restituendas esse censuerit, fa-

ciam etiam id non gravate ac patiar pensiones illas, si ita visum fuerit, de summa Kaunae mutuata[2] deduci, modo fama et nomen meum a quovis non ita temere deformetur. Nihil enim aeque mihi nunc agendum proposui, quam ut in fide debita, studio ac observantia erga S. Regiam Vestram Maiestatem usque ad extremum vitae halitum me perseverasse omnes intelligant, et ut filio meo[3] thesauri loco bonam mei memoriam relinquam.

Idem S. Regiae Vestrae Maiestatis Commissarius hoc etiam queritur, fundationem oppiduli cuiusdam a praefecto meo Ragnetensi[4] esse impeditam et census ab incolis, ad Scheschuppam[5] amnem eo in loco, ubi Scherwintam[6] recipit, considentibus, necnon de aliis quibusdam prope Kirschmemelensem districtum habitantibus, nullo iure exactos esse. Quae quidem omnia ita habent, ut propterea praefectus meus nullo iure argui possit. Enimvero loca illa iam dudum controversa fuerunt, nec obscure ad Ducatum meum pertinere ex pactis Lithuanicis demonstrari potest, sicut etiam magna ex parte a Commissariis mihi adiudicata sunt.

Praeter haec S. Regia Vestra Maiestas multoties benignissime mihi pollicita est se eas particulas, etiamsi ius mihi in illis nullum competeret, ditioni meae clementer adiecturam. Poterit igitur S. Regia Vestra Maiestas hinc facile aestimare Commissarium suum, Capitaneum Kirschmemelensem, nodum (quod aiunt) in scirpo quaerere et de commemoratis articulis absque necessitate controversiam movere. Oro itaque S. Regiam Vestram Maiestatem summo studio, ut sibi et senem iam decrepitum et filium tenerae adhuc aetatis, una cum tota ditione mea, clementer habeat commendatum, nec de mea fidelitate ullam sibi dubitationem obrepere permittat, quin erga eos, qui secus de me iudicare ausi fuerint, eam se praebeat, ut S. Regiae Vestrae Maiestati istud quam maxime intelligant displicere. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem Christo Deo longis temporibus salvam, florentem ac felicem conservandam etiam atque etiam summo studio commendo. Datae.

Consiliarii praecipui iusserunt et legerunt
Doctor Jonas correxit

*In folio separato:* Regi Poloniae, 7 Februarii anno etc. 67.

Cedula in literis ad Regem Poloniae etc.

Non dubito etiam, Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime, S. Regiam Vestram Maiestatem petitionem meam, qua etiam atque etiam ab ea contendi, ut mei in negotio Wobisseriano clementer dignaretur habere rationem, et quod S. Regia Vestra Maiestas se id facturam benignissime receperit, oblivioni minime tradidisse. Quamvis autem propensissimae S. Regiae Vestrae

Maiestatis erga me voluntati non diffidam, tamen nunc per occasionem non potui eandem rem uno atque altero verbo non attingere, quod S. Regiam Vestram Maiestatem id haud aegre laturam vehementer confiderem. Rogo itaque S. Regiam Maiestatem Vestram maiorem in modum demisse, ut me aliquando et quidem oportune de illo ipso negotio, quid tandem in eo actum sit aut adhuc expectandum, clementer certiorem reddere non gravetur. Eo pacto pristinis beneficiis suis in me benigne collatis cumulum haud exiguum additura. Datum ut in literis.

Referente secretario

1) *Matthias Petkowicz (v. El. XXXII, N. 916); Kirschmemel vel Christmemel, Polonice: Skirstymoń, oppidum et arx in Samogitia.*

2) *agitur de pecunia, a. 1563 a duce Alberto regi mutuo data.*

3) *Albertus Fridericus.*

4) *Theodoricus (Dietrich) Packmohr.*

5) *Szeszupa, fluvius.*

6) *Szyrwinta, fluvius.*

*N. 6040*

*E Regio Monte, 12.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat se de negotio redemptionis praefecturarum Jurborgensis et Nowavolensis iam in prioribus litteris suis (cfr. N. praeced.) accuratius scripsisse et sperat regem sententiae hac in re suae facile acquieturum esse; addit praeterea se paratum esse ad restituendas pensiones et census, ab incolis dictarum praefecturarum perceptos, summam eiusmodi pensionum et censuum de pecunia regi Caunae mutuo data deducere; de fundatione oppiduli cuiusdam a praefecto suo Ragnetensi impedita etiam superioribus litteris suis iam fusius scriptum esse significat.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1057.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 615-618).*

Serenissime Rex *etc.*

Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, Knissini die III[a] huius mensis datas, accepi intellexique ex illis, quae S. Regia Vestra Maiestas, dum de Jurburgensibus bonis superioribus annis mihi oppignoratis per Commissarios, eam ad rem utrinque destinatos, tractatum est, accidisse clementer ad me perscribit. Cum autem [de] iis ipsis rebus ante per meos Commissarios diligenter certior essem factus, quam illae S. Regiae Vestrae Maiestatis literae ad me perferrentur, de toto il-

lo negotio die huius mensis septimo ea quidem omnia, quae ad rem pertinere videbantur, accuratius perscripsi[1]. Nolo itaque idem argumentum pluribus hoc loco repetere, quod vehementer mihi persuasum habeam S. Regiam Vestram Maiestatem in iis, quae literis prioribus ita, uti res ipsa habet, adducta a me sunt, facile acquieturam. Quod quidem a S. Regia Maiestate Vestra etiam atque etiam summo studio contendo. Neque enim arbitror S. Regiam Vestram Maiestatem pensionum istarum annuarum exactionem, iusto tempore tum ac adhuc a me factam, cum neque ipsa S. Regia Maiestas Vestra literis suis, neque aulicus eiusdem, Nobilis ac Generosus Christophorus Konarski, coram sermone satis certi aliquid de tempore redemptionis constituisset, magnopere esse improbaturam, praesertim cum in gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis ultro ante tempus debitum bonis illis oppignoratis cesserim, nec omnino nullum ex ea spontanea cessione detrimentum acceperim, propterea quod multae agrestium familiae, multae villae, elapso tandem debitae cessionis intervallo, hoc ipso anno pensiones non contemnendas fuissent persoluturae.

Huc et illud accedit, quod cum ego S. Regiae Vestrae Maiestati eo anno, cum de hac oppignoratione transactum est, mense Maio triginta millium argenteorum summam dinumerassem, mense Novembre demum possessio earum praefecturarum mihi tradita sit. Quantum etiam dispendium rerum mearum pro mea in S. Regiam Vestram Maiestatem singulari observantia, cultu et amore ex dinumeratione pecuniae Kaunae mutuatae[2] in militem Germanum fecerim, non est quod multis recenseam, cum in hunc usque diem ea pecunia mihi restituta non sit et ego usuras de ea annuas persolvere cogar. Proinde S. Regiam Vestram Maiestatem denuo etiam atque etiam vehementer obtestor, dignetur horum meritorum meorum, qualiacunque ea sunt, perbenignam habere rationem, praesertim cum ea res non tam ad S. Regiae Vestrae Maiestatis quam illius, qui eas praefecturas posthac tenuerit, utilitatem spectare videatur. Qui quidem, quicunque is fuerit, ne me meritis suis vel erga S. Regiam Vestram Maiestatem vel Magnum Lithuaniae Ducatum superet, nihil omnino vereor, multo autem minus, quod S. Regia Vestra Maiestas illius potius quam mei rationem habuisse videri possit.

Ad extremum autem hoc addo, quod si S. Regia Vestra Maiestas praeter spem meam in ea sententia perstiterit, ut his omnibus posthabitis pensiones perceptas restitui omnino a me voluerit, in eum eventum facile patiar, ut haec summa perceptarum pensionum de pecunia Caunae mutuata deducatur. Ideoque enixe peto, ne diutius cessionem pignoratarum praefecturarum ob pensiones nondum redditas protrahi, sed potius suis Commissariis mandari curet, ut primo quoque tempore cessionem a me ultro oblatam acceptent meque hac molestia liberent.

Quae fundationis cuiusdam oppiduli a praefecto meo Ragnetensi[3] impeditae ac nonnullarum coloniarum, ad praefecturam Ragnetensem usurpatarum, ratio sit, ad S. Regiam Vestram Maiestatem similiter superioribus literis meis accurate perscriptum est. Ne igitur S. Regiam Vestram Maiestatem prolixitate literarum molestia aliqua afficiam, ad illas ipsas me refero, Deumque oro, ut S. Regiam Vestram Maiestatem secundissimis quibusque successibus abundantem annos complures servet incolumem. Datae Regiomonti, XII Februarii anno MDLXVII.

Cancellarius cum Doctore Jona legit
Enoch Baumgartner

1) *cfr. N. praeced.*
2) *vide notam 2 N. praecedentis.*
3) *Theodoricus Packmohr.*
4) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6041*

*S.l., 13.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro filiis defuncti Achatii Czema, palatini Marienburgensis, intercedit et rogat, ut rex confirmare velit pactionem inter eos initam, cuius vigore natu maximo, Christophoro, praefectura Hollandiensis cessit.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 619-620).*

Serenissime Rex, Potentissime Princeps etc.

Non arbitror S. Regiam Vestram Maiestatem ignorare Magnificum ac Generosum Achatium Czema, olim Palatinum Mariaeburgensem felicis memoriae, post suum e vivis discessum tres filios[1], bonorum paternorum legittimos successores, reliquisse. Qui hereditatem paternam inter se pacto diviserunt eaque de re literas, tam suis quam amicorum quorundam, qui pactioni interfuerunt, sigillis roboratas, confecerunt, quarum exemplum dignum fide procul dubio S. Regiae Vestrae Maiestati ab ipsis filiis exhibebitur. In qua quidem pactione natu maximo ex filiis, Generoso ac Nobili Christophoro Czema, Capitaneo Hollandiensi, praefecturae Hollandiensis oppignorationem cessisse intellexi.

Cum autem ad fraternam benevolentiam et concordiam horum fratrum conservandam plurimum momenti habiturum videatur, si illa ipsa pactio a S. Regia Maiestate Vestra, sub cuius iurisdictione multo maxima eorum bonorum pars sita est, clementer confirmetur, non potui facere, quin literis id negotii meis apud S. Regiam Maiestatem Vestram diligenter adiuvarem. Proinde S. Regiam Vestram Maiestatem enixe oro, velit in hac caussa, quanto favore ac gratia senem illum Czema complexa fuerit, filiis etiam ostendere, nec modo in confirmanda hac pactione, verum et ceteris in rebus, quantum eius cum dignitate et commodo S. Regiae Vestrae Maiestatis fieri poterit, benignam ac facilem se praebere. Id mihi tam gratum accidet, ut me ipsum propterea magno beneficio affectum esse sim existimaturus. Quod restat, S. Regiam Maiestatem Vestram Christo Servatori incolumem ac felicem conservandam etiam atque etiam intimis votis commendo. Datae.

Commissio Principis per Cancellarium[2)]

*In folio separato:* Ad Regem Polonorum. Item ad Vicecancellarium[3)], XIII Februarii anno LXVII.

1) *scil. Christophorum, Achatium et Fabianum.*
2) *Ioannes a Kreitzen.*
3) *Petrus Myszkowski.*

*N. 6042*

*S.l., 19.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*Hermannum Kirschbruchium, hominem rerum Livonicarum non ignarum, qui fratri suo Gulielmo, archiepiscopo olim Rigensi, et omnibus illius archidioecesis ordinibus,* «etiam cum maximo suo discrimine et incommodo», *fidelem operam navavit, commendat* («cum benignitate... Dei eius provinciae administratio Magnificentiae Vestrae obtigerit»).

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 622-624).*

*N. 6043*

*S.l., 22.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*significat ad se perlatum esse Gedani a centurione quodam milites conscribi et conscriptos Tilsam ad futuros delectus mitti; rogat, ut rex se certiorem reddere velit, cuius pecunia eiusmodi milites conducantur, qui eorum usus sit futurus, an iussu vel permissu regis conscribantur.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1064.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 624-627).*

Serenissime Rex *etc.*

Cum ad me perferretur Regiomonti milites transire, qui interrogantibus, quonam iter suum instituerint, respondent se Gedani a quodam obscuri nominis centurione, Iohanne Pane, sed ita tamen, ut ignorent, cuius Principis stipendia sint merituri, conductos et Tilsam ad futuros delectus contendere ibique, donec lustratis copiis in Livoniam ducerentur, commorari iussos esse, haud sane mediocriter eo nuntio sum perculsus. Nullo enim vel minimo rumore antea cognovi, imminente iam vere adversus Moscovitas aut Suecos, communes harum terrarum hostes, expeditionem a quoquam esse decretam, habendorum autem delectuum facultatem in ditione mea quis sibi me inscio minimeque rogato vendicare sumereque auderet, nemo mihi sane occurrebat. Neque ego, quantumvis magnopere interpellarer, eius rei, quam perniciem subditorum meorum secum trahere non obscure intelligam, potestatem cuiquam facere aut possem aut deberem. Ne autem aliquid imprudenter aut per incuriam admittam, quod tam S. Regiae Vestrae Maiestatis quam meae ditioni detrimentum aliquod afferre aut aliquando iuri possit derogare meo, magno mihi opere censeo esse providendum.

Quapropter ea de re, ad quos ea quoquo modo pertinere videbatur, celerrimis nuntiis perscripsi, eosque ut milites illos in gratiam S. Regiae Maiestatis Vestrae, qua ne opinante quidem eos concurrere existimarem, transitu prohibeant salutique communi ea in re consulant, perquam diligentissime rogavi cohortatusque sum. Meis autem praefectis tota via, quae e Gedano Regiomontem et hinc Tilsam ducit, serio mandavi, ut ne quem militem per praefecturas suas transire patiantur, sed eos regredi, unde venerunt, iubeant modisque omnibus arceant, donec ex S. Regia Vestra Maiestate, quid ipsa fieri hac in re velit consultumque fore arbitretur, didicero.

Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum demisse deprecor, dignetur mihi, si quid de eo milite antea, cu-

ius pecunia conductus aut quis eius usus futurus sit, cognovit, clementer benigneque communicare meque de voluntate sua certiorem reddere. Si enim iussu aut permissu saltem S. Regiae Vestrae Maiestatis conscribitur, nihil libentius aut maiore studio facturus sum, quam ut a me minime retentus aut impeditus esse videatur, modo in ditione mea locus ad lustrandas copias non decernatur. Hoc enim absque certo meorum subditorum exitio, qui iam antea ab equitatu proximo, pro commodo S. Regiae Vestrae Maiestatis a me collecto, satis multis et magnis affecti incommodis sunt, concedi a me minime posset, tametsi omnino statuam S. Regiam Vestram Maiestatem, quae ipsa ditiones habet multo amplissimas et loca ad delectus habendos peropportuna, ne unquam quidem ea de re, si sui milites sint, cogitasse. Vehementer autem cupio literis S. Regiae Vestrae Maiestatis tota hac de re, cuiusmodi sit et quid me facere oporteat, quam primum doceri. Quam longissimis temporibus salvam, felicem ac florentem conservari intimis votis meis etiam atque etiam precor. Datae.

Sic scribi non minus consultumque necessarium esse iudicabant consiliarii: Curiae Magister[1)], Burggravius[2)], Cancellarius[3)], Marschalcus[4)], Fridericus a Canitz
Princeps assensit

*In folio separato:* Regi Poloniae, XXII Februarii anno LXVII.

1) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg.*
2) *Christophorus a Kreitzen.*
3) *Ioannes a Kreitzen.*
4) *Ioachimus Borcke.*

*N. 6044*

*S.l., 25.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*notum facit se iam prius ad litteras eius, quibus de dolo et fraude mercatorum, ab usitatis itineribus ad telonea Magni Ducatus Lithuaniae ducentibus declinantium, querebatur, respondisse.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1055.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 628-629).*

Serenissime Rex *etc.*

Accepi denuo a S. Regia Maiestate Vestra literas, quibus de dolo ac fraude mercatorum, qui ab usitatis itineribus ad thelonea Magni Ducatus Lithuaniae ducentibus per devia declinent, eaque re rationibus S. Regiae Vestrae Maiestatis non parum incommodent, ad me perscribitur. Cum autem antea S. Regiae Vestrae Maiestati idem prorsus, sed diversis in locis a me postulanti, demisse responderim me hanc novitatem, multa et magna incommoda praeter ipsas quotidianas molestias secum importaturam, concedere non posse, et alias rationes in defraudatores animadvertendi diligentibus theloneorum praefectis expositas esse, nolo nunc S. Regiae Vestrae Maiestati prolixitate mea esse molestus, sed ad superius illud responsum me refero, eique S. Regiam Vestram Maiestatem acquieturam esse non dubito.

Quam longis temporibus firma valetudine prosperrimisque successibus frui exopto. Datae.

Commissio Principis referente Curiae Magistro[1)]
Doctor Jonas legit

*In folio separato:* Regi Poloniae etc., 25 Februarii anno etc. 67.

1) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg.*

*N. 6045*

*S.l., 25.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*queritur de contumeliis et iniuriis, a ministris Christophori Konarski procuratori suo, ad tractandum negotium redemptionis praefecturarum Jurborgensis et Nowavolensis constituto, illatis, et rogat, ne rex cuilibet permittat signa finium loci illius transferre, aut oppidum vel villam in locis controversis condere, donec ea res utrinque transigatur et componatur; petit, ut promissas sibi «particulas» in Lithuania, etiamsi nullum ius ad illas sibi competeret, obtinere queat.*

*Cfr. El. XXXII, NN. 1063, 1066, 1067.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 629-632).*

Serenissime Rex *etc.*

Quae nuper difficultates praeter omnem opinionem acciderint, dum de eximendis cedendisque Jurburgensi et Novavoliensi praefe-

cturis per commissarios utrinque eam ad rem destinatos tractatum est, iam antea binis literis ad S. Regiam Vestram Maiestatem diligenter perscripsi, planeque iam futurum statuebam, ut homines se concordiae ac tranquillitatis quam dissensionum turbarumque studiosiores esse comprobarent. Verum secus usu nunc evenisse et me frustra eam spem concepisse res nova mihique cognitu peracerba ostendit. Post discessum enim commissariorum, suspensa ad tempus utrinque tractatione, ministri Nobilis ac Generosi Christophori Conarski, qua freti authoritate incertum est, propria certe et minime concessa (ipsius enim Christophori iussu id factum esse adhuc minime crediderim), Gasparem Lobelium, quem ego ibi rerum mearum procuratorem constitueram, multis contumeliis iniuriisque affectum et e vestigio iis praefecturis excedere iussum, violenter ab administratione amoverunt. Quare cum alii sese in eam possessionem ipsi non obscure intruserint, omnemque eius rei transigendae rationem, quae quidem utrinque iam suscepta erat, corruperint, quid mihi amplius faciundum sit, nisi ut violentae et importunae eiusmodi occupationi locum concedam et ab eo die ab hypotheca abstineam, nihil prorsus video. S. autem Regiae Vestrae Maiestati hoc nihilominus per literas significandum et de vi procuratori meo illata conquerendum esse duxi. Hoc vero S. Regiam Maiestatem Vestram etiam atque etiam vehementissime oro, ne finium eius loci notiones transferre, aut oppidum vel villam in praeiudicium mihi in locis controversis condere quisquam ausit, donec tandem ea de re inter S. Regiam Vestram Maiestatem atque me fuerit transactum.

Qua quidem perantiqua et longe maxima molestia ut S. Regia Vestra Maiestas tam se ipsam quam me quoque liberare dignetur, usque adeo a S. Regia Vestra Maiestate contendo, ut maiore studio non possim. De me autem, quod ius aliquod authoritate propria iis in locis mihi sumere idque usu fructu docere velim (quod quidem ut S. Regiae Vestrae Maiestati persuaderent, nonnullos sedulo operam dedisse non ignoro), ne in animum inducat. Fides enim, observantia synceritasque in S. Regiam Vestram Maiestatem mea perpetuo constabunt, et S. Regiam Maiestatem Vestram, quo tandem ea controversia finiatur, benigne curaturam promissionisque suae, qua mihi eas Lithuaniae particulas, etiamsi mihi ius nullum in illis competeret, pro sua in me mirifica propensione, ex ipsa sanguinis necessitudine promanante, clementer concessuram pollicita est, nunquam non bene memorem fore etiam atque etiam vehementr confido. Quam continuo rerum optimarum incremento secundissimisque omnium conatuum successibus et imprimis prospera valetudine diu frui maiorem in modum exopto. Datae.

*In folio separato:* Ad Serenissimum Polonorum Regem, XXV Februarii anno LXVII.

*N. 6046*

*S.l., 25.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*nuntiat se capitaneis et ceteris officialibus suis serio iniuncturum esse, ut iustitiam unicuique administrent et controversias inter utramque partem intercedentes diligenter examinent et dirimant.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 279-280).*

*N. 6047*

*S.l., 26.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Konarski, secretario regio,*
*de bonis Georgenburgensibus (Jurborgensibus) et Nowavolensibus redimendis et negotiationibus eam ob causam peragendis.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 279-280).*

*N. 6048*

*S.l., 4.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*Ludovicum Hundertmarck,* «nobili ortum familia», «tam in pacis quam belli artibus non inexercitatum», *commendat et rogat, ut eum in numerum satellitum suorum recipere velit (cfr. N. seq.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 637-638).*

*N. 6049*

*S.l., 4.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski et, mutatis mutandis, Nicolao Laski*
*rogat, ut Ludovicum Hundertmarck, prae ceteris dominis et potentatibus regi Poloniae servire cupientem, eidem regi ita commendent, quo in numerum stipatorum regiorum recipiatur (cfr. N. praeced.).*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 204r-v).*

*6050*

*S.l., 7.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*de modis et viis pensiones annuas, ab incolis praefecturae Jurborgensis a se exactas, regi restituendi et persolvendi et de reddenda sibi a rege pecunia, ante annos quattuor ei Caunae mutuo data.*

*Cfr. El. XXXII, NN. 1063, 1066.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 638-644).*

Serenissime Rex *etc.*

Binas his diebus a S. Regia Vestra Maiestate de praefecturae Jurburgensis negotio accepi literas, alteras quidem sigillo Lithuanico easque paulo durius, alteras Polonico eoque minore consignatas et nonnihil mitius scriptas, in quibus S. Regia Vestra Maiestas postulat, ut exactas ab incolis praefecturae Jurburgensis pensiones annuas una cum ipsa praefectura simpliciter restituam, eaque in re eorum, quae S. Regia Maiestas Vestra de illa ipsa praefectura constituisset, quae hoc pacto consistere non possent, rationem habeam. Quod quidem spem meam, qua futurum putabam, ut S. Regia Vestra Maiestas iis, quae superioribus literis meis de toto negotio accuratius ad ipsam perscripta, a meque propositae aequissimae conditiones essent, haud difficulter acquiesceret, non parum evertit. Non autem id S. Regiae Vestrae Maiestati, quam singulari et perpetua animi benignitate erga me ferri eamque constanter conservaturam vehementer confido, sed iniquitati quorundam hominum et horum temporum imputandum esse existimo. Statuere autem S. Regiam Vestram Maiestatem etiam atque etiam velim in iis me nunc angustiis constitutum esse, ut reditus exactos vicissim persolvere, quantumvis id percupiam, minime possim. Nec omnes eam ad rem vias mihi sedulo intenteque perquirenti ulla nunc alia sese ostendit, qua et S. Regiae Vestrae Maiestati et ipsi Christophoro Konarski, qui vel solus istud negotii acrius, quam mea forte in illum merita beneficiaque ferunt, urgere videtur, hoc praesertim tempore satisfieri posse sperem, quam ut hanc solutionem ad pensiones annuas a S. Regia Vestra Maiestate clementer mihi decretas, toto autem (ubi Paschatis festum aderit) quadriennio ex thesauro Mariaeburgensi non persolutas, remittam, ut S. Regia Maiestas Vestra, acceptis a me literis, quibus mihi tantam pecuniae summam, quae pensionem praefecturae Jurburgensis annuam, subductis tamen inde prius iis, quae pro commodo ac necessitate ipsius praefecturae exposita sunt, adaequet, persolutam esse contester, vel ex thesauro Mariaeburgensi tantum pecuniae mihi debitae ipsi Christophoro Konarski numerari iubeat.

Qua quidem et aequissima et propemodum unica conditione, quam hoc tempore sors mihi reliquam fecit, S. Regiam Maiestatem Vestram contentam fore maiorem in modum confido, Sacramque Regiam Vestram Maiestatem, ut de eo certiorem me quam primum faciat, demisse oro. Pendunt autem praefecturae Jurburgensis incolae singulo anno sexagenas (ut vocant) monetae Lithuanicae mille ducentas septuaginta octo, grossos duos et quadraginta cum quinque obulis. Hinc ad ipsius praefecturae necessitatem expositae sunt sexagenae quadraginta, grossi duodecim et sex obuli. Quae summa a superiore generali deducta relinquit adhuc mille ducentas triginta octo sexagenas, grossos unum de triginta cum novem obulis. Summam a me iam reddendam et florenos Polonicales (triginta grossis florenum singulum intelligendo) ter mille nonaginta et sex, grossos septem et obulos tres constituentem. Si itaque hanc conditionem (quod a S. Regia Vestra Maiestae etiam atque etiam summis precibus contendo) acceptum iri intellexero, confestim curabo cautionem scribi, qua me eiusmodi summam de pensionibus meis annuis deducendam accepisse testaturus sum.

Quod si ne hac quidem via praeter spem meam res successerit, adhuc unam proponam, quae sola reliqua est, etsi perdifficilem mihi vehementerque incommodam, nimirum ut recipiam me ipsi Christophoro Konarski literis cauturum, quod eam summam post anni spatium cum debita usura absque dilatione sim persoluturus. Ex quo quidem S. Regiam Vestram Maiestatem voluntatem meam in omnibus paratissimam, et quod nulla obstinatia, sed ipsa adductus necessitate solutionem hucusque differam, abunde arbitror perspecturam.

Praeterea autem S. Regiam Vestram Maiestatem vehementer obnixeque precor, dignetur tandem clementer procurare, ut reddendi mihi Caunensis debiti, quo hactenus non sine insigni meo detrimento careo, persolvere creditoribus cogor, numerandarumque ex thesauro Mariaeburgensi pensionum annuarum, iam ab annis quatuor mihi debitarum, omnis mora praescindatur. Alias ex summis difficultatibus, in quibus iam constitutus sum, non modo non eluctari possum, sed in graviores etiam prolabi me necesse erit.

Quod vero S. Regia Vestra Maiestas ei transactioni acquiescit, qua inter Commissarios tam suos quam meos constitutum est, ne oppidulum illud novum, cui iam locus destinatus fuerat, in finibus controversis ante compositam eam rem conderetur, summopere mihi gratum accidit, inque eam spem me erexit fore tandem, ut pervetusta illa et molestissima de finibus controversia finem suum consequatur et ego, ea perturbatione animi liberatus, excedere ex hac vita tanto tranquillius possim. Cui rei suscipiendae cum S. Regia Maiestas Vestra diem Corporis Christi festum proxime consequentem constituerit, operam plane daturus sum, ut ad illud ipsum tempus

mei quoque Commissarii praesto sint. Ut autem S. Regiae Vestrae Maiestatis clementissima voluntate diu mihi frui liceat, eandem a Deo Optimo Maximo longis temporibus salvam, felicem ac florentem conservari ardentissimis votis exopto. Datae.

Ex Burggravii[1)], Cancellarii[2)], Marschalci[3)] et Doctoris Jonae consilio
Cancellarius et Doctor Jonas legit

*In folio separato:* Ad Regem Poloniae, VII Martii anno 67.

1) *Christophorus a Kreitzen.*
2) *Ioannes a Kreitzen.*
3) *Ioachimus Borcke.*

*N. 6051.*

*S.l., 8.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*excusari petit, quod per adversam valetudinem* («quae me negotiis hoc tempore vacare non permittebat») *litteris regiis de missione Pauli Wobeseri ad se scriptis per praesentem veredarium regium celeriter respondere non potuit, et de hoc negotio,* («ubi morbus paulo remiserit»), *per proprium tabellarium scribere promittit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1054.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., Vol. 57, ff. 644-645).*

*N. 6052.*

*S.l., 13.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Konarski, secretario regio,*
*de censibus, ab incolis praefecturae Jurborgensis a se exactis, regi persolvendis et de pecunia, ante quadriennium regi Caunae mutuo data, sibi restituenda (cfr. N. 6050).*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLII, N. 2013.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 205-206).*

N. 6053.

*Sl., 14.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*Venceslaum Schack a Stangenberg, consiliarium suum, internuntium ad regem mittit, ut negotia quaedam* («quae cum salute ditionis meae magnopere coniuncta sunt») *ei proponat et conficiat, commendat et petit, ut eum clementer audiat et benevolo cum responso ad se remittat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 645-646).*

N. 6054.

*S.l., 14.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. cancellario [Valentino Dembiński], vicecancellario [Petro Myszkowski], palatino Brestensi [Ioanni Służewski, Ioanni Kostka [castellano Gedanensi], Petro Zborowski [castellano Biecensi], Nicolao Firley, palatino Cracoviensi [Stanislao Myszkowski]*
*litterae fidei pro Venceslao Schack a Stangenberg, consiliario et internuntio suo, in quibusdam negotiis ad Ducatum Prussiae pertinentibus ad regem et ad proceres Poloniae misso (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 647-648).*

N. 6055.

*S.l., s.d.III.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*litterae fidei pro Venceslao Schack a Stangenberg, consiliario suo, ad conficienda quaedam negotia, ad ditionem suam* «non parum pertinentia», *ad praesentia Regni Comitia [Petricoviensia, a 7.IV. ad 20.V.1567 celebrata] misso.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 648-650).*

N. 6056.

S.l., 24.III.1567.

*Albertus dux in Prussia*
«regi Lusitaniae seu Portugaliae» *[Sebastiano d'Aviz]*
*pro subditis suis: Ioanne Koesen, Bernardo Derschkaw, Ioanne Krinitz et Matthia Lohe, civibus Regiomontanis, quibus ante biennium in* «celeberrimo emporio Lisebona» *ab officialibus regiis summa 300 ducatorum ablata erat, intercedit et rogat, ut interposita auctoritate regia subditis suis ablata pecunia* «citra longiorem controversiam» *restituatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 650-651.*

N. 6057.

S.l., 26.III.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Bielewicz Stankiewicz, aulico regio, tivuno Ejragolensi,*
*tanta gratiarum actione pro equo sibi misso (cfr. N. 6035) opus non fuisse scribit; nuntiat se de hominibus eius fugitivis ad capitaneos suos scripsisse eisque mandasse, ut – si in districtibus ipsorum receptum invenissent – illos ei extraderent.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLI, N. 1974.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, f. 652).*

N. 6058.

S.l., 26.III.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Osvaldo Baldner, armifactori regio,*
*residuam pecuniam pro armamentario ante annum sibi confecto ei debitam mittit (cfr. N. LXXIV, N. 5963).*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLV, NN. 187, 189).*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 206v).*

*N. 6059.*

*S.l., 2.IV.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro subditis suis Ioanne a Gern et Iacobo Brandt, civitatum Regiomontanarum: Cnipaviae et Veteris Urbis, senatoribus, quibus cum Reinholdo ab Holten, cive Gedanensi, ratione hereditatis post mortem Petri Mitteldorf ad eos devolutae, controversia est, iterum intercedit (cfr. El. LXXIV, N. 5949).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 657-659).*

*6060.*

*S.l., 2.IV.1667.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,*
*pro Ioanne a Gern (Gerem, Geren) et Iacobo Brandt, senatoribus Regiomontanis, ratione hereditatis cum Reinholdo ab Holten, cive Gedanensi, controversiam habentibus, iterum intercedit (cfr. N. praeced.; cfr. El. LXXIV, N. 5950).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 659-661).*

*N. 6061.*

*S.l., 11.IV.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ursulae de Sieprc Lwowska, castellanae Covaliensi,*
*nuntiat se ex litteris eius cognovisse eam iure agere velle contra Theophilum a Polentz, capitaneum in Schönberg, ratione profugorum illorum, quos suos esse asserit, et mittit ei litteras citationis ad capitaneum praedictum datas, ipsi iniungentes, ut coram iudicio suo aulico Regiomontano 8 die Maii compareat et ad accusata eius respondeat (cfr. El. LXXIV, N. 5961).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLI, N. 1992.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 661-662).*

*N. 6062.*

*S.l., 17.IV.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, quibusdam proceribus Regni Poloniae*
*mittit commissarios suos ad actionem Paulo Wobesero ad diem festum Pentecostes [18.V.] intentandam et rogat, ut eis rex nomine suo dicentibus in omnibus fidem habeat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1054.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 664-665).*

*6063.*

*S.l., 24.IV.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*regi Galliae [Carolo IX]*
*Melchiorem Schober a Penigk, honestum iuvenem in Galliam se conferentem, commendat et rogat, ut eum inter servitores suos recipere dignetur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 663-664.*

*N. 6064.*

*S.l., 1.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*dolet, quod rex petitioni suae de exactis in praefectura Jurborgensi censibus locum dare noluerit, sperat tamen eum* «veteris consanguinei et servitoris sui» *benignam rationem habiturum esse; petit, ne solutionem* «pecuniae Caunensis» *(scil. ante quattuor annos ei Caunae mutuo datae) diutius differat (cfr. N. 6050).*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 667-673).*

Serenissime Rex *etc.*

Redditae mihi sunt binae S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, diversis temporibus scriptae. Quarum alteris S. Regia Vestra Maiestas postulat, ut iidem commissarii mei, qui possessionem hypothecariam districtus Jorburgensis a commissariis S. Regiae Vestrae Maiestatis traditam acceperunt, in manus S. Regiae Vestrae Maiestatis

commissariorum integre eandem praefecturam ad diem Ascensionis Dominicae[1] proximam restituant. Quinta autem die Maii ante restitutionem conveniant, iniurias subditorum cum commissariis S. Regiae Vestrae Maiestatis exaudiant, iustitiam administrent et cetera, quae videbuntur ad eiusmodi bonorum resignationem pertinere, peragant.

Alteris vero literis S. Regia Vestra Maiestas se excusat, quod precibus meis de exactis districtus Jorburgensis censibus annuere non possit propter thesauri Lithuanici angustias. Consentire autem se scribit, ut de iisdem perceptis censibus cum Generoso Christophoro Konarski contrahere mihi liceat. Restitutionem quoque praefecturae Jurborgensis per commissarios meos, de quibus supra dixi, ad diem Corporis Christi proximam[2] velle praestari. Etsi autem omnino mihi persuasum habebam non opus fore aliqua traditione commissariis S. Regiae Vestrae Maiestais facienda, quandoquidem Generosus Christophorus Conarski possessioni praefecturae Jorborgensis sese de facto ingessit, tamen cum aliud nunc velle S. Regiam Vestram Maiestatem intelligam, pro subiectionis meae debito libenter postulatis S. Regiae Vestrae Maiestatis satisfacerem, nisi haec duo impedimenta obstarent: alterum, quod literae S. Regiae Vestrae Maiestatis, quae diem conventus videlicet quintam Maii assignant, die 27 Aprilis, alterae vero ad festum Corporis Christi dilatoriae, 29 Aprilis mihi primum sunt redditae. Huc accedit et illud, quod unus ex prioribus commissariis meis, Wenceslaus Schak, qui apud S. Regiam Vestram Maiestatem internuntium istic meum agit, etiamsi temporis angustia non impediret, ante legationem perfunctam neutri conventui interesse potest. Alterum commissarium negotio meo contra Wobisserum[3], cui S. Regia Vestra Maiestas diem Pentecostes[4] sacrum dicere dignata est, cum aliis eam ad rem deputatis consiliariis meis praefeci. Tertius a Comitiis provinciae huius meae, quae iam celebrantur, minime abesse potest. Itaque, quod ad hanc partem literarum S. Regiae Vestrae Maiestatis attinet, enixe peto, ut in tempus longius conventionem Jurborgensem differat, ac quidem tantisper, donec a S. Regia Vestra Maiestate reversi ad me fuerint internuntii mei. Quod ubi fecerit S. Regia Vestra Maiestas, uti facturam confido, sine mora aut procrastinatione aliqua cum S. Regia Vestra Maiestate certum conventionis diem constituam.

De exactis in praefectura Jurborgensi censibus certo certius sperabam petitioni meae S. Regiam Vestram Maiestatem clementer locum daturam, cum etiam in maioribus, nedum in re tantilla, de S. Regiae Vestrae Maiestatis benignitate animus meus mihi amplissima polliceatur, sitque exilis iactura thesauro S. Regiae Vestrae Maiestatis in tempus pecuniola tali carere. Cum ego graves annorum aliquot usuras, quas ratione mutuatae S. Regiae Vestrae Maiestati Cau-

nensis pecuniae sustinere et de meo annuatim exolvere coactus sum, nunquam S. Regiae Vestrae Maiestati annumeraverim, ut nihil minus dubitaverim, quam S. Regiam Vestram Maiestatem aut de stipendio meo annuo censuum Iurborgensium summam detracturam fuisse, aut annua usura seu interesse, ut vocant, ratione eius pecuniolae contentam fore, praecipue cum S. Regiae Vestrae Maiestati angustia aerarii mei et gravissimus alieni aeris acervus non sit obscurus. Quia vero in utroque repulsam a S. Regia Vestra Maiestate patior, in his summis meis angustiis eas inire rationes cogar, ut si mitius clementiusque a S. Regia Vestra Maiestate responsum non obtinuero, postulatis S. Regiae Vestrae Maiestatis etiam cum damno meo satisfiat. Plane autem confido S. Regiam Vestram Maiestatem veteris consanguinei et servitoris sui eam rationem habituram esse, ut nihil a priore sua in me clementia remisisse aut remittere velle videri possit.

Spem, quam S. Regia Vestra Maiestas de pecunia Caunensi renumeranda clementer mihi in iisdem literis facere dignata est, ea qua decet reverentia accipio, petoque submisse, ut ne S. Regia Vestra Maiestas diutius eam solutionem differat, cum sciat me ex aere alieno eam pecuniam S. Regiae Vestrae Maiestati mutuasse et annuis, ut dixi, usuris eo nomine onerari. Neque hoc tantum S. Regiam Vestram Maiestatem peto, sed enixe quoque oro, ut tot annorum stipendia, ex thesauro Marienburgensi mihi debita, iussu quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis mihi tandem exolvantur. Quod si qui sunt, qui me ad demerendum hoc per aetatem nunc imparem fortassis esse iudicant, facit tamen in eo S. Regia Vestra Maiestas, quod divus illius parens vitae meae temporibus clementer concessit. Daboque operam, ut charissimus filius meus[5] suis obsequiis et servitiis illud, quod facultati corporis mei nunc per senectam deest, per adultiorem aetatem suam S. Regiae Vestrae Maiestati inclitoque Poloniae Regno suppleat. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati ad binas illius literas submisse rescribenda esse duxi. Quae ut ne S. Regia Vestra Maiestas inclementer accipiat, maiorem in modum peto. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem in longos annos servet incolumem tribuatque ei corporis et animi robur diuturnum. Datae.

Ex relatione Domini Cancellarii[6]
Cancellarius legit, Curiae Magister[7] audivit

*In folio separato:* Regi Poloniae, prima Maii anno etc. 67.
*Alia manu:* Dem Konarsken und koniglichen commissarien mus der tag auch abgeschoben werden. Legatur Curiae Magistro.

1) *8.V.1567.*
2) *20.V.1567.*
3) *Paulus Wobeser, Pomeranus, militum ductor.*
4) *18.V.1567.*
5) *Albertus Fridericus.*
6) *Ioannes a Kreitzen.*
7) *Ioannes Iacobus Truchsess.*

*N. 6065.*

*S.l., 1.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*commissariis regiis in conventu Jurborgensi et, mutatis mutandis, Christophoro Konarski*
*nuntiat se regi scripsisse eumque rogasse, ut negotium de redemptione praefecturae Jurborgensis tantisper differret, donec consiliarii sui ex Comitiis Petricoviensibus reverterentur (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 666-667).*

*N. 6066.*

*S.l., 8.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,*
*consiliarios suos: Volfgangum a Kreitzen, heredem in Deutscheilau et capitaneum Osterodensem, Andream Packmohr, capitaneum Bartensem, Fridericum ab Aulack, Venceslam Schack a Stangenberg, Hieronymum Roth, I.U. doctorem, et Balthasarem Gans, secretarium suum, ad Comitia Regni Petricoviensia missos, ei autem negotium Volmari Uxkul, Livoniensis, relaturos, commendat et rogat, ut eidem Volmaro opera sua adsit, quo promissa sibi a rege impetret* («cum autem rex nunc Livoniae provinciam Inclytis Magni Ducatus Lithuaniae Ordinibus concesserit, apudque Maiestatem Suam fortasse hoc amplius non erit quaerendum, sed ab ipsis Ordinibus praedicti Ducatus impetrandum») *(cfr. El. LXIV, N. 5996).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 673-676).*

*N. 6067.*

*S.l., 9.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*proceribus et dignitariis Regni Poloniae: archiepiscopo Gnesnensi [Iacobo Uchański], episcopo Cracoviensi [Philippo Padniewski], episcopo Posnaniensi [Adamo Konarski], episcopo Plocensi [Andreae Noskowski], episcopo Premisliensi [Valentino Herburt], epi-*

*scopo Camenecensi [Dionysio Secygniowski], castellano Cracoviensi [Spytconi Jordan de Zakliczyn], palatino Cracoviensi [Stanislao Myszkowski], palatino Posnaniensi [Lucae a Górka], palatino Lublinensi [Ioanni Firley de Dąbrowica], palatino Siradiensi [Alberto Łaski], palatino Brestensi [Ioanni Służewski], palatino Russiae [Nicolao Sieniawski], palatino Ravensi [Andreae Sieprski de Golczewo], palatino Masoviae [Stanislao Lawski], Stanislao ab Ostroróg [castellano Międzyrzecensi], castellano Radomiensi [Ioanni Tarło], R.P. cancellario [Valentino Dembiński], vicecancellario [Petro Myszkowski], castellano Sandecensi [Stanislao Sobek], Ioanni Christophoro Tarnowski [castellano Wojnicensi], castellano Belzensi [Andreae Dembowski], Petro Zborowski [castellano Biecensi], castellano Premisliensi [Petro Barzi], Ioanni Tomicki [castellano Rogosnensi], Nicolao Firley, Raphaeli Leszczyński, episcopo Varmiensi [Stanislao Hosio]*

*litterae fidei pro consiliariis suis: Volfgango a Kreitzen, Andrea Packmohr, Fridericko ab Aulack, Hieronymo Roth (Rota), Venceslao Schack a Stangenberg et Balthasare Gans, in quibusdam negotiis ad regem missis, eis quoque quaedam relaturis.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 676-678).*

*N. 6068.*

*S.l., 10.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat se consiliario suo Volfgango a Kreitzen, heredi in Deutscheilau et capitaneo Osterodensi, iniunxisse, ut nomine suo a rege peteret, quo eum* «de secretioribus quibusdam negotiis privatim et solum audire clementer ne gravaretur», *et rogat, ut ei in rebus, quas verbis suis relaturus est, plenam et indubitatam fidem adhibeat benignoque responso eum dignetur.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 678-679).*

*N. 6069.*

*S.l., 11.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*pro subdito suo Matthaeo Fuchs, cive Cnipaviensi, intercedit et rogat,*

*ut negotium eius regi et duci Curlandiae ita commendet, quo navem suam a Suecis ipsi interceptam recuperare queat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 282-283).*

*N. 6070.*

*S.l., 11.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ursulae de Sieprc Lwowska, castellanae Covaliensi,*
*se ex litteris eius percepisse nuntiat eam ob nonnulla impedimenta,* «praesertim vero quod in praesentibus Comitiis Petricoviensibus alia sibi negotia procuranda sint», *coram iudicio suo ad constitutum diem ad diiudicandam causam ei cum Theophilo a Polentz, capitaneo in Schönberg, intercedentem nec personaliter nec per plenipotentem comparere non posse, propterea termini causae procrastinationem usque ad 29 diem Maii ei concedit (cfr. N. 6061).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, NN. 2014, 2017, 2018.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 680-681).*

*N. 6071.*

*S.l., 12.V.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,*
*significat se consiliariis suis ad Comitia Petricoviensia ablegatis, Volfgango a Kreitzen, heredi in Deutscheilau et capitaneo Osterodensi, Andreae Packmohr, capitaneo Bartensi, Friderico ab Aulack, Hieronymo Roth, Venceslao Schack a Stangenberg et Balthasari Gans, iniunxisse, ut nomine suo cum eo conferrent de summa pecuniae ante aliquot annos Caunae regi mutuo data, et rogat, ut eis fidem habeat et in iuvando hoc negotio se benevolum praebeat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 681-682).*

N. 6072.

S.l., 30.V.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*pro baronibus a Dohna, ut bona et arcem Novum Molendinum* (Newemuele) *nuncupatam pacifice possidere queant.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 283).*

N. 6073.

S.l., 2.VI.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Radziwiłł «Rufo», palatino Vilnensi,*
*ad litteras eius, quibus Iacobum Abramowicz ad obsequia filii sui adhibendum sibi commendabat, respondet se ei hac in re gratificari non posse, cum numerus nobilium puerorum filium suum observantium completus iam sit et ipse Iacobus Abramowicz grandioris iam sit aetatis, quam ut cum pueris filio suo famulantibus versari possit; ut tamen commendationis eius ratio apud se habeatur, eundem Abramowicz in numerum servitorum suorum recipiendum esse ducit.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 687-688).*

N. 6074.

S.l., 2.VI.1567.

*Albertus dux in Prussia*
«doctori Ambrosio magiro»
*pro* «astrologico currentis huius anni prognostico» *sibi misso gratias agit et rogat, ut etiam* «libellum astronomicum, singulari quorundam mathematicorum diligentia concinnatum» *sibi mittat.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 688-690).*

Eximie atque Egregie, nobis sincere dilecte.

Literas vestras, nobis et charissimo filio nostro[1)] inscriptas, cum astrologico currentis huius anni prognostico accepimus. Quae duplici nomine nobis fuerunt iucundissimae, cum quod studiosisimi erga nos animi vestri significationem continent, tum quod libellum astro-

nomicum, singulari quorundam mathematicorum diligentia concinnatum, nobis communicare vos velle pollicentur. Itaque eas quas par est vobis gratias agimus, tam pro prognostico nobis iam misso, quam quod alterius etiam operis astrologici participatione nobis gratificari satagitis. Quia vero animus noster a cognitione coelestium influentiarum nunquam alienus fuit semperque ea delectati sumus, rem nobis gratam facturi estis, si insignem eum libellum nobis communicaveritis.

Ne autem eius missio vobis sit periculo, hac ratione facillime caveri posse existimamus, si eundem libellum per aliquem sincerum et fidum hominem sive tabellionem, probe compactum et consignatum manibusque nostris propriis intitulatum seu inscriptum et literis vestris adiectum, miseritis. Nos autem eo accepto, uno atque altero ex consiliariis nostris, qui nobis semper a latere sunt, adhibito, secretius nobis legendum eum curabimus, ac ne in manus aliorum perveniat aut spargatur, diligenti asservatione providebimus. Studium vero vestrum et operam ei labori impensam, proque prognostico nobis iam misso, clementer et coniunctim tunc recompensaturi sumus. Viaticum quoque tabellioni huic honorarium exsolvi iussimus. Atque haec vobis clementer rescribenda esse duximus. Cupimusque vos rectissime valere. Datum.

Relatio Domini Cancellarii[2)]

*In folio separato:* Doctori Ambrosio Magiro, II Iunii anno 67.

1) *Albertus Fridericus.* 2) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6075.*

*S.l., 2.IV.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Narzymski, castellano Sieprcensi,*
*nuntiat ei Gabrielem Grabowiecki, reginae Poloniae curiae magistrum, sibi graviter conquestum esse de iniuriis et damnis sibi et subditis suis ab eo illatis, severe igitur admonet eum, ut ab eiusmodi violentia in posterum abstineat et damna illata resarciat.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLII, NN. 2022, 2024.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 207r-v).*

*N. 6076*

*S.l., 2.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Gabrieli Grabowiecki, tribuno Lomzensi, capitaneo Mlavensi,*
*litteras eius 25.V. datas, quibus querebatur de iniuriis a Nicolao Narzymski, castellano Sieprcensi, subdito suo, ei et subditis eius allatis, se accepisse nuntiat et dictum castellanum per litteras serio admonuisse, ut maiorem bonae vicinitatis habeat rationem; scribit praeterea se iussisse, ut promissae ei centum oves* «octiduo post proximum divi Bartholomaei diem» *[1.IX.1567] ei extraderentur (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, NN. 2022, 2024.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 690-692).*

*N. 6077*

*S.l., 7.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*ad litteras regias* «de navibus Suedicis ad littus Memelense frequenter conspectis» *respondet se nihil de eiusmodi navibus antea cognovisse et putare eas naves piraticas esse; a se tamen accurate curatum esse et nunc curari, ut* «certis constitutis custodiis hostium machinationes diligenter observentur».

*Cfr. El. XXXII, N. 1076.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, f. 692).*

Serenissime Rex *etc.*

Literae S. Regiae Vestrae Maiestatis, quibus de navibus Suedicis ad littus Memelense frequenter conspectis certiorem me facit, gratissimae mihi fuerunt, quod S. Regiam Vestram Maiestatem ex vetere instituto suo nunquam et me et fortunas meas curae non habere illustri argumento ostendebant. Nihil autem de eiusmodi navibus, quas, si quae sunt, piraticas esse existimo, antea cognoveram, alias ea de re ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscribere non neglexissem. Hoc tamen iam dudum et nunc denuo a me diligenter curatum est, ut ubique locorum in ditione mea, et praesertim ad litus Memellense, certis constitutis custodiis hostium machinationes diligenter ob-

serventur iisque, si usus ita postulet, obviam eatur. Atque haec S. Regiam Vestram Maiestatem submisse celare non debui. Cui optimam valetudinem et felicissimos rerum omnium successus exopto. Datae.

Cancellarius[1] et Curiae Magister[2] audivere

*In folio separato:* Regi Poloniae, 7 Iunii anno tec. 67.

1) *Ioannes a Kreitzen.* 2) *Ioannes Iacobus Truchsess.*

*N. 6078*

*S.l., 8.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Narzymski, castellano Sieprcensi,*
*nuntiat se non sine gravi molestia cognovisse eum litteras suas, quibus admonebatur, ne Gabrielem Grabowiecki eiusque subditos in posterum iniuriis afficeret, ludibrio habuisse; iterum postulat, ut ab omni violentia abstineat et equos ablatos una cum curru restituat (cfr. NN. 6075, 6076).*

*Cfr. El. XLII, NN. 2022, 2034.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 694-695).*

Nobilis ac Generose, Fidelis nobis dilecte.

Dedimus nuper ad te literas Germanico sermone scriptas, quibus tibi serio mandabamus, Magnificum ac Generosum Gabrielem Grabowietzki, S. Reginalis Maiestatis Poloniae etc., Dominae nostrae clementissimae et affinis charissimae[1], Curiae Magistrum, et subditos eius ne qua in posterum iniuria afficeres, sed eum plane te gereres, ne alieni aliquid ab officio boni vicini admisisse te merito conqueri quisquam possit. Allatum enim ad nos fuerat te nonnunquam in domos subditorum ipsius Curiae Magistri irrumpere, vim agrestibus inferre eosque verberibus usque male tractare minime vereri, non ita pridem etiam cuidam in itinere publico equos duos una cum curru vi abstulisse, eosque ne in hunc usque diem restituere voluisse. Quod quidem ut faceres et te posthac contineres, literas nostras effecturas fuisse nihil prorsus dubitavimus.

Cognovimus autem non absque gravi animi nostri molestia te non solum expectationi nostrae non satisfecisse, sed literas etiam nostras ludibrio habuisse, dictitando te sermonis Germanici imperi-

tum esse, ideoque eos equos tam diu detenturum, donec linguam Germanicam intelligere didicisses. Quod quidem cum absque auctoritatis nostrae imminutione ferre nec possimus nec debeamus, in aliud tempus tecum expostulandum nobis reservamus. Nunc autem iterum atque iterum tibi mandamus, ab omni violentia ut abstineas, equos cum curru ei, cui ablati sunt, restituas, eumque te plane praestes, ne nobis tui in officio continendi necessitas imposita esse videatur, pro gratia nostra secus non facturus. Datae.

Ad Nicolaum Narzimski

1) *Catharina.*

*N. 6079*

*S.l., 9.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Gabrieli Grabowiecki, tribuno Lomzensi, capitaneo Mlavensi,*
*significat se moleste tulisse castellanum Sieprcensem, Nicolaum Narzymski, litterarum suarum, quibus illi serio mandatum esset, ne ipsum vel ipsius subditos qua molestia afficeret, nullam habuisse rationem; nunc se ad illum iterum litteras dedisse, quarum exemplum his inclusum mittit (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, NN. 2022, 2024.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 696-697).*

*N. 6080*

*S.l., 12.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*litteras regias negotium Iacobi Wessel sibi commendantes se accepisse nuntiat et scribit negotium hoc accuratiore inquisitione indigere, cum villa Płośnica (ad cuius partem dictus Wessel se ius habere affirmat) hucusque semper ad castrum suum Soldaviense pertinuerit; se tamen daturum esse operam,* «ut rei circumstantiis quam primum cognitis, quod iustum et aequum fuerit decernatur».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1074.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 697-698).*

N. 6081

S.l., 16.VI.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Myszkowski, palatino Cracoviensi,*
*pro nobili Ioanne Haugsdorf, servitore suo, ad quem adhuc impuberem hereditas quaedam ex morte cognati ipsius devoluta est administrationique et tutelae palatini tam diu est commissa,* «donec is annos pubertatis attingeret eiusque hereditatis adeundae capax esse posset»; *cum nunc idem Haugsdorf ad pubertatis annos iam pervenerit, rogat, ut ea, quae huic servitori suo iure naturali aut civili competunt, administrationi eius concedat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 698-699).*

N. 6082

S.l., 16.VI.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Osvaldo Baltner (Baldner), armifactori regio,*
*de termino solutionis residuae pecuniae, ei pro armis sibi confectis a se debitae.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLV, NN. 187, 189, 190.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 205-206).*

N. 6083

S.l., 16.VI.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Erhardo a Kunheim*
*mittit* «veram et accuratam relationem» *de negotio Pauli Wobeseri et rogat, ut – si forte Wobeser iam apud imperatorem sit – eam imperatori et, postulante necessitate, aliis quoque principibus Imperii transmittendam curet.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 208r-209r).*

An Erhart von Kunhaim, den 16 Junii.

Wir stellen in kheinen zweifel, du werdest nuhmehr allerley erfaren haben, was sich mit Paul Wobissern alhier zugetragen. Ob wir nun woll gehoffet, es solte Wobisser seiner zusage nach bey der kö.mt. zu Polan etc. auf den jungstvorschienen der Pfingsten terminum[1], weill hochermelte kö.mt. die sachen zwischen [uns] und ihm auf solche zeit zu vorhören und zu vorrichten sich ubernommen, persönlich eingestellet haben, derwegen wir dann auch unsere volmechtige gesandten gegen Peterkaw abgefertiget[2], welche auch noch allda vorharren, so kommen uns doch zeitungen bey, als solle Wobisser nicht aigener person aldar gestehen, sondern an die kay.mt.[3], auch chur- und fursten vielleicht, allerley sich uber uns zu beschweren, begeben haben.

Wann wir dann bein uns erachten, do ehr ahn dieselben orter gelangen solte, unsere hochste notturft zu sein, das wier auf sein furbringen unsern waren gegenbericht durch jemandsen thun liessen, solches aber mit dieser eyle durch die bey uns alhier habenden diener nit beybringen khönnen, auch noch ungewiss, ob Wobisser, wie ahn uns gelanget, bey der kay.mt. sey, als haben wir diese post an dich abfertigen wollen. Und schicken dir beyliegendt einen warhaftigen gruntlichen bericht, was mit Wobissern alhier furgelaufen und sich zugetragen, gnedigst begerende, im fall Wobisser albereit bey der kay.mt. ist oder noch ankhommen wurde, du wollest solchen unseren wahren gegenbericht der kay.mt., auch sonsten, bey welchem es vonnöten, anbringen und der warheit zu stewer unsern vormutlichen unglimpf damit wiederlegen, auf das die kay.mt. hochgenanndt und meniglichen zu sehen, wie Wobisser gehandelt, dich in dem unserer gnedigen zuvorsicht nach also vorhalten. In solchem etc.

Ex relatione Domini Cancellarii[4]
S[ecretarius] Andreas Montzer

1) *18.V.1567.*
2) *ad Comitia Regni (7.IV. - ante 20.VI.1567 celebrata).*
3) *Maximilianus II.*
4) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6084*

*S.l., 17.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*mittit exemplum litterarum a Paulo Wobesero ante aliquot dies ad se datarum; quae cum minarum et calumniae plenae sint, se sperare*

*scribit regem eas rationes initurum esse,* «ut ea, quae pro qualitate huius negotii et sibi et mihi ex re et dignitate esse iudicaverit, statuat, effrenisque insolentia huius hominis coerceatur».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1083.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, f. 700).*

*N. 6085*

*S.l., 26.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Erhardo a Kunheim*
*iterum de negotio sibi cum Paulo Wobesero intercedente (cfr. N. 6083).*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 209r-v).*

An Erharten von Kunhaim, den 26 Junii anno 67.

Erbar, lieber, getrewer.

Vor wenig tagen haben wir dier einen bericht, welchermassen wier mit Wobissern in einen weitleuftigen handel geraten und wie die hendel allenthalben im grunde gelegen, neben unserm schreiben zugefertiget, der gnedigen hofnung und zuvorsicht, dier dasselbe nunmehr zukhommen und behendiget sein werde. Und begeren nochmals gnediglichen, due wollest dir solchen handel (als unser gnediges vortrawen und zuvorsicht zu dier stehet) mit trewen, vleis und im besten angelegen und bevolen sein lassen, das der Wobiser oder iemandt von seinetwegen am kayserlichen hoff derenthalben zu practicieren sich understehen wurde, erfurest, uns dasselbe ins schleunigste als muglich zu wissen thun und ahnmelden und alles, so uns oder diesen gutten landen zu beschwer und nachwill geraichen möchte, trewes vleises vor dich und durch andere, die du uns, unsern landen und leuten gewogen und zugethan waist, abhalten und vorkhommen waist, abhalten und vorkhommen helfen. Und weil wier dann sieder dem gedachten unserm negsten ahn dich ergangenen schreiben einen brief von Wobissern uberkhommen, ubersenden wir dier hiebei vorwart ein abschrift desselben, daraus du zu ersehen, wie sich der Wobisser uber den uns zugefugten grosen mercklichen schaden zun uns, unsern rethen, dienern und underthanen zu hochster unbilligkeit nöttigen thut. Mit gnedigem sinnen und begeren, ob du etwas solches und wie es dausen allenthalben stehet, durch dein

schreiben mitthailen und wisshaft machen wollest. Das und alles vorige wollen wir gegen dier mit gnaden etc. Datum etc.

S[ecretarius] Caspar Dargitz

*N. 6086*

*S.l., 28.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Zborowski, castellano Biecensi,*
*nuntiat se sororium eius [Martinum Stadnicki], ad obsequia filii sui [Alberti Friderici] missum, servitoribus eiusdem filii sui libenter ascripsisse eumque sibi commendatissimum habiturum esse* («ita ut ad honestatem et omne virtutis genus homine nobili dignum cum filio nostro educetur, crescat et adolescat»).

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2023.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 701-702).*

*N. 6087*

*S.l., 28.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Narzymski, castellano Sieprcensi,*
*notum facit se supplicationem eius accepisse et in adiuncto scripto (quod deest) ad eam respondere.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 209v-210).*

*N. 6088*

*S.l., 30.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*iterum pro baronibus a Dohna intercedit et mandatarium eorum, Christophorum Alzunium, in negotio praefecturae Novi Molendini ad regem missum, ei commendat.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1083.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 703-707).*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Saepius iam commendavi S. Regiae Maiestati Vestrae Generosos ac Nobiles Burggravios et Barones a Dona, fideles mihi dilectos, ratione praefecturae Novi Molendini in Livonia sitae, quae a fratre ipsorum Henrico, viro forti et tam pacis quam belli artibus praeclare instructo, iure hereditario ad eos devoluta est, petiique perquam enixe, ut per gratiam et auctoritatem S. Regiae Vestrae Maiestatis eam hereditatem ex iusto et aequo quiete possiderent, nec propterea molestia afficerentur, quod ita futurum S. Regia Maiestas Vestra non unis literis benignissime polliceri dignata est. Certior autem ex duobus fratribus eorum Baronum, nempe Achatio et Abrahamo, quorum fideli opera in hac grandi senecta et suprema valetudine mea libentissime et commode utor, factus sum, eam praefecturam non ita pridem, si non totam, tamen magna ex parte, iussu, ut aiunt, S. Regiae Vestrae Maiestatis a Gubernatore Livoniae, Domino Iohanne Chotkewitzio, occupatam esse, idque propterea factum, quod nemo ipsorum hucusque cum diplomate, cuius vigore praefecturam possident, coram illo comparuerit. Cum autem nunc ea de re ad S. Regiam Vestram Maiestatem honestum Christophorum Alzunium ablegaturi essent, non faciendum putavi, quin denuo istud negotii S. Regiae Vestrae Maiestati quanto maiore studio possem etiam atque etiam commendarem, praesertim cum per me steterit, quominus alteruter ex fratribus cubiculariis meis, quos quidem, quae nunc valetudinis meae conditio est, vel unam saltem diem a me abesse non sine gravi difficultate et molestia mea ferre possum, ad S. Regiam Vestram Maiestatem hactenus sit profectus. Totum autem negotium, tum ut diploma, si opus fuerit, vel in originali, vel exemplum bona fide inde transsumptum exhibeat, Christophorus Alzunius in mandatis habet.

Quam ob rem maiorem in modum demisse deprecor, ut S. Regia Vestra Maiestas petitionibus eius clementem sese praebere et honestissimae horum Baronum familiae benignam rationem habere non dedignetur. Reputet S. Regia Maiestas Vestra paulo altius, non solum quam longo temporis intervallo atque adeo a teneris annis, sed multo magis qua fide, quanto studio, industria ac diligentia S. Regiae Vestrae Maiestati ipse Henricus praeclaram operam sedulo navavit, ita ut tandem pro dignitate S. Regiae Maiestatis et totius inclyti Poloniae Regni in armis vitae periculum adierit, in eoque honesto vulnere accepto occubuerit. Nec arbitretur R. Vestra Maiestas rectius et utilius se in Henricum quam in fratres eius heredes beneficium collocaturam fuisse. Sunt enim et hi disciplina militari ceterisque virtutibus Henrico non inferiores, ita ut S. Regiae Vestrae Maiestati, si eos sibi devinxerit, non exiguo honori et maximo usui esse queant.

Quod si fortasse ob loci opportunitatem Novo Molendino S. Regia Vestra Maiestas carere non voluerit, non invitos se ea praefectura decessuros recipiunt, si S. Regia Vestra Maiestas eam vel pecunia vel aliis bonis hic in Prussia sitis redemerit. Interim vero et ego ipsorum nomine vehementer peto, et ipsi quoque perquam demisse et humiliter orant, ne alio pacto a possessione hereditaria atque legitima dimoveantur, aut propterea difficultates vel molestias aliquas sustinere habeant necesse. Quod si etiam nunc aliquid illis ademptum aut detrimentum illatum est, provideat quaeso S. Regia Maiestas Vestra, ut ablata illis quam primum restituantur et detrimentum omne sarciatur. Quod S. Regiam Vestram Maiestatem, pro summa sua iusti ac aequi observantia inque nos amore singulari, clementer facturam esse etiam atque etiam confido idque beneficium ego non secus, ac si in me collatum esset, accipiam. Tota vero Baronum horum familia ea ratione S. Regiae Vestrae Maiestati ad omnia obsequiorum genera quam arctissime devincietur. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem longis temporibus superstitem esse et quam felicissime regnare toto pectore exopto etc. Datum etc.

*In folio separato:* Regi Poloniae etc., 30 Iunii anno 67.

*N. 6089*

*S.l., 30.VI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*

*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, Ioanni Dulski*

*negotium baronum a Dohna ratione praefecturae in Livonia, Novum Molendinum nuncupatae, a gubernatore Livoniae occupatae, iterum commendat et rogat, ut Christophoro Alzunio, ad hoc negotium expediendum a dictis baronibus misso, in conficiendo negotio opera sua apud regem adsint.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2027.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 707-709).*

*N. 6090*

*S.l., 1.VIII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz*

*nuntiat se Ioanni Böler, servitori suo,* «ad ea Magni Ducatus Lithuaniae loca, ubi nunc temporis legatio Moscovitica consedisset», *profecturo, in mandatis dedisse, ut a mercatoribus Mosco-*

*vitis legationem subsequentibus nonnulla mercimonia,* «utpote zebellinas martarum et alias pretiosiores pelles», *emat et sibi asportet; rogat, ut hic servitor suus absque vectigalis solutione praedictas merces in Prussiam advehere tuto possit.*
*(Latine)*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 713-714).*

*N. 6091*

*S.l., 3.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*rogat, ut commissiones regias, ad non leves de finibus controversias pertinentes, scribendas et sibi celeriter mittendas curet.*
*(Latine)*
*Cfr. El. XLII, N. 2028.*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 714-715).*

*N. 6092*

*E Regio Monte, 4.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat internuntium suum, Volfgangum a Kreitzen, de legatione sua ad regem peracta sibi diligenter rettulisse, et pro gratia et benevolentia regia sibi, filio suo et subditis exhibita gratias agit; fidelia officia sua et filii sui regi defert; significat duos ablegatos electoris Saxoniae cum litteris eiusdem electoris, nescitur qua de re tractantibus, per Regium Montem Rigam se contulisse; similiter duos eiusdem electoris nuntios ante aliquot dies venisse, in negotio, ut asserunt, Petrum Caesarem, electoris servitorem, et Volfgangum a Kreitzen pertinente; de Wobesero scribit eum Stettini nunc commorari et equites in Cassubia et Pomerellia conscribere.*
*Cfr. El. XXXII, N. 1080.*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 210r-213r).*

An den konig zu Polan, den vierten Julii anno 67.
Gnedigster und freuntlicher, lieber herr und oheimb.

Wes E.Ko.Mt. dem ehrnvesten, meinem rath, obersten und lieben getrewen Wolffen von Kreitzen, heuptmann zu Osterrode und auf Deutzscheylaw, vormuge ihme mitgegebener credentz an mich zurückzubringen in gnedigem bevelich auferleget, hat ehr mit allem vleis bey mihr undertheniglichen geworben und auserrichtet. Ich auch solches alles von ihme zur notturft vorstanden und eingenommen. Bin dafur, das E.Ko.Mt. mich, derselben alten, abgehenden lehensfursten, mit denen königlichen gnaden meinen und fur mich, mei-

nen geliebten sohn[1)] und meine arme landt und leute die gnedige sorgfeltigkeit tragen, zum underthenigsten und allerfreuntlichsten danckbar. Und do Gott wolte, das es andere gelegenheit umb meine person haben mochte, dann woll itzo mein hohes wolhergebrachtes alter und meine tegliche schwere leybes schwacheit dieselbe giebet, solten E. Ko.Mt., mich solche danckbarkheit mit darsetzunge leybes, guts und bluts gegen und fur E.Ko.Mt. in der that und im werck zu erweisen, gantz geneigt und unbeschwert erspuren.

Weil ich aber ein schwacher, krancker und stets bettreisiger furst bin und numehr uber den gutten willen nichts mehr vormag, so bitt ich underthenig und dienstlichen, E.Ko.Mt. denselben fur die that nehmen und nichts desto weniger mein gnedigster könig und herr, auch freundlicher lieber oheim sein und bleiben, mich und meinen sohn in gnedigem bevelich haben wolle. Und also ob mihr und meinen habenden privilegien und freyheiten auch meinen geliebsten sohn halten, das wie ich mich in meiner jugent derselben hoch gefrewet, ich im alter mit beschwerlichen eingriffen, die mich in todt berauben, nit beleget und meinem lieben sohne zu der zeit, wann es Gott gefellig ist, mein landt und leutt in gleicher freyheit pacta andtworten und vorlassen möge. Will auch, ob Gott will, es mit gutem rat dohin in gutter stille ruhe schaffen und verordenen, das E.Ko.Mt. und der löblichen Crohn kein schad entstehen, sonder ahn mihr und meinem sohn den trewen lehensfursten und underthanen iederzeit haben und finden, auch mein landt und leutt in gutter ruhe, stille und friedt von mihr regieret werden sollen, das, wie bishero, E.Ko.Mt. derhalben nit viel unruh haben dörffen, sonder hinfort derselben gantz ohnig sein mugen. Des will ich und mein sohn hinwider, mit gnediger hulf und vorleyhung des Almechtigen die getrewe blutsvorwandten und lehensfursten ersterben und an meiner E.Ko.Mt. schuldigen trew und pflicht bis in meine gruben, und solang mihr warm zum hertzen gehet, keinen mangel erscheinen lassen.

Alsdann E.Ko.Mt. under anderm mihr durch gemelten meinen rath und diener bevehlen lassen, uf die deutzschen anschlege und prackticken, wohin und zu was wegen dieselben gerichtet sein und was vorlaufen möchte, gutte acht zu legen, und wes ich in der zeit erfaren und vornehmen wurde, E.Ko.Mt. sich darnach zu richten haben mugen, unseumlichen zu wissen zu thun, so mag E.Ko.Mt. ich darauf underthenig und freuntlich nicht vorhalten, das mihr bis anhero nichts schriftwirdiges und so E.Ko.Mt. zu erinnern vonnöten gewest, zukhommen, sonsten solte solches E.Ko.Mt. von mihr meinen pflichten nach ungeborgen blieben sein. Das soll aber E.Ko.Mt. ich fur dissmall unangemeldet nicht lassen, das mitlerzeit, indeme jungst meine legation bey E.Ko.Mt. zu Peterkaw vorharret, zwene sachsische boten mit churfurstlichen sechsischen briefen alhie durch

und nach Riga gelaufen. Was in den briefen enthalten gewesen und zu was meinung sie dahin abgefertiget sein mugen, kan ich nicht wissen.

Also seint auch fur wenig tagen zwene von gemeltem churfursten zu Sachsen[2)] anhero abgefertigete doctores alhie zu Königspergk ankhommen, welche sich noch zur zeit keines andern bevelichs oder habender werbung vornehmen lassen, dann das sie in sachen, einen churfurstlichen sechsischen diener, Peter Cesarn, heuptmann uff der vheste Leiptzig, und vorgedachten meinen rat, Wolffen von Kreitzen, belangende, die dann hiebey meinem hofgericht zurechte anhengig worden, hereingeschicket. Ob nun solches nur ein schein sein und sie neben deme auch auf andere dinge ein aug zu haben und sich etwas mehr zu erkhundigen im bevelich haben mugen, ist mihr unwisslich. Ich will aber gleichwoll alle ding in geburender gutter acht und aufmercken halten lassen und E.Ko.Mt. iederzeit von allem, so ich erfaren werde, unseumbliche meldung thun.

Und sodann E.Ko.Mt. gleicher gestalt gnediglich begeret, dieselbe wegen Paull Wobissers, wo sich derselbe itziger zeit aufenthielte, underthenig zu vorstendigen, so soll E.Ko.Mt. ich nicht vorhalten, das mihr glaublich zukhommen, das sich derselbe zu Alten Stettien in Pommern vorhalten solle. Es gehen auch die reden, das ehr sich nicht allein allerley beschwerlichen worte und drawungen hören lasse, sondern auch reutter hin und wieder auch in E.Ko.Mt. landen, als in Cassuben und uff Pomerellen, bestelle und annehme. Etzliche aber sagen, das solche bestallung durch Ernst Weyern, nicht khann man aber wissen, wehme zum besten und wohien, geschehe. Weil dann Ernst Weyer E.Ko.Mt. bestelter diener, trag ich keinen zweifel, do die reuter von ihme und nicht von Wobissern bestellet werden, E.Ko.Mt. werde darumb, wohin die bestallung gehen mag, gutt wissen haben. Im fall aber dieselbe khein wissenschaft davon hetten, were meines einfalts gleichwoll nicht ungeraten, sonder allerley gefehrligkheit zu vorkommen hoch vonnöten, das E.Ko.Mt. sich bey irem diener, dem Weyer, desfals, weil gleichwoll die bestallung zum theil in E.Ko.Mt. landen, wie oben gedacht, geschicht, alles notwendigen berichts erkhundiget und die gebuer darauf gnediglich vorschaffet hetten. Dann ob sich woll von Weyern, als der E.Ko.Mt. mit dinst und pflichten vorwandt, das ehr, do die bestallung sein, und nicht Wobissers oder eines andern ist, wieder E.Ko.Mt. oder diese lande sich gebrauchen lassen solte, nicht zu besorgen, so khöndte doch hinder seinem vorwissen aller handt gefehrliches von dem bevhelsherren, wehr der auch sein möchte, gesuchet werden, dann derselbe den Weyern woll allein zu einem schein, und damit durch ihnen als einen freundt dieser lande die leutt umb soviel eher und sicherer in diesen orten zuwegen gebracht, gebrauchen. Wann aber

nun das kriegsvolck beysammen, den Weyern des bevelichs unvorsehens entsetzens, einen anderen rittmeister oder obersten aufwerfen, und alsdann das volck, wohin ehr wolte, furen und gebrauchen möchte, solche practicken gehen itzo gar stehre im schwang und in der ubung. Und ist solches eben meinen beiden obersten, mehr gedachtem Wolffen von Kreitzen und Andreas Packmorn[3], wie sie mich berichten, mehr dann einmall begegnet, das man sie kriegsvolck zu bestellen angenommen, wann aber solchs geschehen und sie wieder ire herschaft nicht dienen wollen, plötzlich des bevelichs entsetzt und andere oberste oder heuptleutt verordenet und das kriegsvolck viel an andere orte, dann woll vormutlich gewesen, gebrauchet hat. Damit nun nicht mit solcher bestallung gleicher massen under den heuptleuten, wie man sagt, gespielt und diesen landen ein unvorsehener unrat daraus entstehen muge, werden E.Ko.Mt. sich zweifelsohne aller gelegenheit und umbstende bey Ernst Weyern notturftig zu erkhundigen und die gebuer darinnen zu vorschaffen in gnaden wol wissen. Woneben E.Ko.Mt. ich zum underthenigsten und freuntlichsten bitte, weil dieselbe mihr auch durch Wolff Kreitzen anzeige thun lassen, das E.Ko.Mt., sobalt derselben von den herzogen aus Pommern uf ihr schreiben den Wobissern betreffende andtwort einkheme, mihr dasselbe ins forderlichste mit gnaden mitteilen wolten, solches sich aber noch bis anhero verzogen, daran mihr, auch landen dannocht mercklichen gelegen, E.Ko.Mt. wolten solcher gnedigen und freuntlichen vortrostung ingedenck sein, damit ich mich dannoch uf alle felle darnach zu richten. Und solches habe E.Ko.Mt. uf derselben gnediges begeren ich undertheniger und freuntlicher wolmeinung nicht bergen sollen, underthenigst und freuntlich bittende, E.Ko.Mt. dieses schreiben dem fewer wolten geben lassen. Thue hiemit E.Ko.Mt. den Allerhöchsten in seinen almechtigen gnedigen schutz fur allem bösen zu ewigen zeiten veterlichen zu behutten und bey langwiriger friedlicher etc. Datum Konigsperg.

Comissio Principis, referente Domino Cancellario[4]
audiente Doctore Jona

1) *Albertus Fridericus.*
2) *Augustus.*
3) *Packmohr, praefectus Bartensis.*
4) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6093*

*S.l., 4.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*nuntiat se mandante rege de quibusdam secretioribus negotiis in adiunctis foliis ad regem scripsisse, eadem annexa scripta mittit et rogat, ut ea regi ad manus proprias tradat.*
*(Germanice)*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 213r-v).*

*N. 6094*

*S.l., 6.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, palatino Posnaniensi,*
*nuntiat Ioannem Policki ad se missum libenter a se exceptum et auditum esse; vitulos uri* («awer khelber»), *quos per eundem Policki sibi mitti petebat, se nunc non habere; quam primum tamen eos habiturus sit, libenter illi missurum esse; fraternae amicitiae, quae cum patre eius [Andrea a Górka] sibi olim intercedebat, mentionem facit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLII, N. 2019.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 213v-214r-v).*

*N. 6095*

*S.l., 7.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*respondet ad litteras regias, quibus Ioannes Żelislawski, capitaneus Risenburgensis (Prabutensis) sibi commendabatur, et nuntiat se de arce Prabuty sine consensu et voluntate omnium ordinum provinciae suae nihil statuere posse; qua cognita commendationis regiae rationem se libenter habiturum esse pollicetur.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1043.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 715-717).*

Serenissime Rex *etc.*

In memoria adhuc habeo S. Regiam Vestram Maiestatem mihi literis suis, III[a] Decembris anno superiore Grodnae datis, Generosum Iohannem a Sulslaw[1)], Capitaneum Risenburgensem, ut praefecturam[2)], quam iure hypothecario, post fratris Francisci obitum ad ipsum devoluto, hucusque obtinet, per gratiam meam ulterius retinere posset, diligenter commendasse. Quod autem non citius ad eas responderim, multitudine negotiorum, quae quidem in hunc usque diem vehementer occupatum me tenent, factum est.

Ad Sulslaviorum vero familiam quod attinet, sic plane existimet S. Regia Vestra Maiestas me ipsum Franciscum, dum viveret, cum ob excellentes ipsius virtutes, quibus divinitus ornatus erat, tum quod et de S. Regia Vestra Maiestate et de me, necnon de communibus hisce terris optime esset promeritus, charissimum habuisse, et hunc Iohannem quoque, quod Franciscum fratrem non vultu solum, sed virtute et probitate vitae omnino repraesentat, non vulgariter amare. De arce autem Risenburgensi absque consensu et voluntate omnium ordinum provinciae meae, qui redimendarum oppignerata-

rum arcium curam susceperunt, statuere nihil possum, neque hucusque aliquid certi de eiusmodi arcibus vel praefecturis decretum est. Quando autem ea in re de communi consilio, quid facere expediat, statuetur, tantum sane clementi S. Regiae Vestrae Maiestatis commendationi libenter tribuam, quantum omnino potero, daturusque sum operam, ut S. Regia Vestra Maiestas omnino intelligat non mihi S. Regiae Vestrae Maiestati in re possibili gratificandi voluntatem unquam defuisse, aut etiam in posterum defuturam. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem diu feliciterque valere exopto. Datae.

Commissio Principis
referente Doctore Jona, astante Cancellario[3]
Doctor Jonas legit

*In folio separato:* Regi Poloniae, VII Iulii anno 67.

1) *Ioannes Żelisławski.*
2) *agitur de praefectura Risenburgensi (Prabutensi).*
3) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6096.*

*S.l., 9.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro et Petro Grajewski, fratribus germanis,*
*nuntiat sibi ab Elia a Kanitz* (Canitz), *capitaneo Ortelsburgensi, significatum esse de bonis quibusdam eius, in districtu Angerburgensi sitis, certo pretio ipsis venditis; se tamen eiusmodi venditionis contractum confirmare ratumque habere non posse, cum bona ista emere ipse in animum induxerit; propterea certiores eos facit se ea de re iam ad Canicium scripsisse, ut contractui cum ipsis inito renuntiaret.*
*(Latine)*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 718-719).*

*N. 6097.*

*S.l., 10.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*Bernardum Gabler, aliquandiu aulicum suum, a duce Wirtembergensi [Christophoro] sibi commendatum, commendat et rogat, ut numero aulicorum suorum eum ascribi iubeat.*
*(Latine)*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 719-720).*

*N. 6098.*

*S.l., 10.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*pro benevolentia Zachariae Stopio, medicinae licentiato, exhibita gratias agit et rogat, ut eum contra Fabianum a Borch, arcis Treiden in Livonia praefectum, protegat ac defendat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 284-285).*

*N. 6099.*

*S.l., 14.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*significat se cum commissariis regiis egisse eosque rogasse, ut negotium de iure iurando, a subditis Ducatus sui Ioachimo marchioni Brandenburgensi sub condicione praestito, tantisper differrent aut suspenderent, donec tota res per commissarios suos regi accuratius referretur, et confidit* «homagium illud conditionale» *nullum detrimentum regi eiusque Regno, sed potius emolumentum allaturum esse; nuntiat praeterea renovatum testamentum suum cum vetere, a rege iam subscripto, de verbo ad verbum congruere et rogat, ut rex id confirmare dignetur.*

*(Schedula: petit, ut rex contra Paulum Wobeser in Pomerania adhuc commorantem necessarias rationes inire velit).*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 720-725).*

Serenissime Rex *etc.*

Cum hic apud me essent S. Regiae Vestrae Maiestatis oratores et commissarii variisque de rebus iussu et mandato S. Regiae Vestrae Maiestatis tractatus haberent, facta quoque est mentio iuris iurandi, quod sub conditione Illustri Domino Ioachimo, Marchioni et Electori Brandenburgensi, a novellis Ducatus mei subditis praestitum est vigore literarum feudalium, a S. Regia Vestra Maiestate Illustritati Suae concessarum. Quia vero cautio iisdem subditis meis praestita a me est, quod ius iurandum illud ipsis praeiudicio aut damno esse in aliquo non deberet, egi cum S. Regiae Vestrae Maiestatis commissariis, ut hanc legationis ipsorum partem tantisper differrent aut suspenderent, donec totam hanc rem cum omnibus circumstantiis per meos ad S. Regiam Vestram Maiestatem accuratius referrem. In quo cum mihi amanter gratificati sint, S. Regiam Vestram Maiestatem submisse oro, ne aegre de illis hoc factum ferat.

Constitui autem, quam primum S. Regia Vestra Maiestas feliciter (quod Deus faxit) in Poloniae Regnum redierit, oratores ad S. Regiam Vestram Maiestatem meos ablegare, qui statum totius huius negotii plene atque integre S. Regiae Vestrae Maiestati inclitisque Regni senatoribus exponant et declarent. Quibus omnibus auditis ac cognitis probeque perpensis, plane confido S. Regiam Vestram Maiestatem Regnique senatores pro sua prudentia dicturos esse, homagium illud conditionale non modo nullum incommodum aut detrimentum S. Regiae Vestrae Maiestati eiusque Regno vel his etiam terris, sed potius magnum commodum et emolumentum allaturum esse. Eam autem moram mittendorum internuntiorum meorum ut S. Regia Vestra Maiestas precibus meis clementer concedere dignetur, maiorem in modum oro.

Iidem S. Regiae Vestrae Maiestatis commissarii inter alia quoque de renovata ultima voluntate mea, seu testamenti factione, sermones mecum habuerunt. Cumque ex me quaererent, an renovatum hoc testamentum veteri, a S. Regia Vestra Maiestate consignato et subscripto, per omnia etiam responderet, dixi me sancte et ingenue asserere illud de verbo ad verbum cum priori congruere, nihilque in eo mutatum esse, praeterquam quod quorundam legata, morte ipsorum legatariorum iam extincta, omissa essent. Idque consiliarii mei, qui his sermonibus interfuerunt, coram commissariis S. Regiae Vestrae Maiestatis bona fide testificati sunt. In quo cum commissarii S. Regiae Vestrae Maiestatis se fidem asseverationi meae habere dicerent (siquidem etiam res se aliter non habet), submisse S. Regiam Vestram Maiestatem rogandam esse duxi, ut sicut prius, ita et hoc renovatum testamentum authoritate regia clementer confirmare dignetur. In quo cum mihi videar rem aequam petere, plane confido S. Regiam Vestram Maiestatem se Regem mihi clementissimum esse praebituram. Ego vicissim fide, observantia et debitis obsequiis meis erga S. Regiam Vestram Maiestatem, pro aetatis meae qualitate, hoc sedulo demereri conabor. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet florentem et incolumem. Datae.

Ex relatione Domini Cancellarii[1]
Dominus Curiae Magister[2] audivit
Dominus Cancellarius et Doctor Jonas
audiverunt

*In folio separato:* Regi Poloniae, XIIII Iulii anno etc. LXVII.

Schedula in literis Regis Poloniae, XIIII Iulii anno 67.

Serenissime Rex *etc.*

Statim post scriptam hanc epistolam certius ad me allatum est Paulum Wobisserum adhuc Stetini in Pomerania commorari, nec fi-

nem hostilia quaeque et mihi et consiliariis servitoribusque meis minandi ullum facere, neque a manifestis conviciis sibi temperare, imo etiam nonnullos equites, quorum opera adversum me et subditos meos uti velit (quod tamen nondum penitus crediderim), sibi adiunxisse. Cum autem non raro ita res ferat, ut ex meis aliqui in Germaniam mihi sint ablegandi, multi etiam in propriis negotiis iter saepe faciant, subverendum sane est, ne Wobisserus gravius aliquid, unde postea maius aliquod malum suboriri possit, tentare audeat. Precor itaque S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum demisse, ut quam primum (nisi iam antea id factum est) eas rationes inire clementer dignetur, quibus ipse Wobisserus et coherceri et eo, ne qua alia quam iuris via sibi agendum esse existimet,adigi maxime possit, ne si ille secus faciat, pax publica turbetur et eiusmodi damnum consequatur, quod sarciri tam facile non queat. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem ad harum terrarum salutem tranquillitatemque magnopere pertinentem et a me summa fide et ad extremum vitae halitum duratura promerendam. Datum ut in literis.

*In folio separato:* Regi Poloniae etc., XIIII Iulii anno etc. LXVII.

1) *Ioannes a Kreitzen.* 2) *Ioannes Iacobus Truchsess.*

*N. 6100.*

*S.l., 17.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro responso regio, in negotio baronum a Dohna ratione praefecturae Novi Molendini sibi perscripto, gratias agit et causam eorum iterum commendat ac rogat, ne rex, itinere Grodnam feliciter confecto,* «semihorulam ei cognitioni impendere gravetur»; *ad causam Wobeserianam quod attinet, se sperare scribit regem eas rationes esse initurum,* «quibus perversis eius hominis consiliis, quae irrequieto animo versare dicitur, quam mature occurratur»; *propterea se responsum ducum Pomeraniae ad legationem regiam avidissime exspectare.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1083.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 730-731).*

*N. 6101.*

*S.l., 17.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*iterum pro baronibus a Dohna intercedit et rogat, ut eorum negotium de possidendis bonis et arce Novo Molendino dicta regi commendet.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 285-286).*

*N. 6102.*

*S.l., 17.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ludovico Montio Mutinensi*
*significat litteras eius, de adventu ex Italia se certiores reddentes, sibi gratissimas fuisse, nuntium tamen in eis contentum de adversa ipsius valetudine se nonnihil contristasse; binas alcis ungulas, quas petiit, ei dono mittit.*

*Cfr. El. L, N. 598.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 726-727).*

Salutem et benevolentiam nostram.

Generose, syncere nobis dilecte.

Gratissimae sane nobis fuerunt literae Generositatis Vestrae, quae de adventu Generositatis Vestrae ex Italia certiores nos reddebant. Uti enim Generositatem Vestram non vulgariter amamus, ita quam saepissime de statu rerum Generositatis Vestrae certius aliquid cognoscere vehementer cupimus. Illud quidem solum non iucundum nobis erat, quod eaedem literae nuntiabant Generositatem Vestram adversa valetudine, quominus nos inviserit, impeditam fuisse. Interea autem eam Generositatis Vestrae promptissimam voluntatem non secus, ac si re ipsa id praestitisset, accepturi sumus.

Ungulas etiam alcis, uti petiit Generositas Vestra, cum tabellario eiusdem binas easque probas Generositati Vestrae mittimus. Eas ut Generositas Vestra boni consulat, gratiose postulamus precamurque, ut ad recuperandam Generositati Vestrae pristinam valetudinem usui sint quam maximo. Quod reliquum est, a Generositate Vestra contendimus, ut in sua erga nos observantia atque studio constanter perseveret, seque vicissim perpetuo nobis commendatam

charamque fore non diffidat. Cui felicem minimeque molestum in Italiam reditum optamus. Datae.

*Il folio separato:* den 17 Julii anno 67.

*N. 6103.*

*S.l., 17.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*gratias agit, quod habita ratione commendationis suae causam baronum a Dohna apud regem promoverit; rumorem de praefecto Novi Molendini sparsum, quasi de arce illa Rigensibus tradenda cogitaret, falsum esse asserit et negotium eorundem baronum a Dohna iterum commendat.*

*Cfr. El. XLII, N. 2027.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 727-729).*

Salutem *etc.*

Literas Reverendae Generositatis Vestrae, quibus ad nos perscribit se ad commendationem nostram negotium Generosorum ac Nobilium Burggraviorum et Baronum a Dona curae habuisse diligenterque egisse, illud vero a S. Regia Maiestate Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, ob absentiam Magnifici Samogithiae Capitanei[1)] Grodnam dilatum esse, ubi porro Reverenda Generositas Vestra idem negotium diligenter studioseque adiutura sit, accepimus. Gratias itaque agimus Reverendae Generositati Vestrae quam maximas, quod commendationi nostrae haud gravate locum tribuerit, cui quidem vicissim nos per omnem occasionem gratificaturos benigne recipimus.

Certiores autem facti sumus suspicionem de praefecto Novi Molendini subortam, quasi ipse de arce Rigensibus tradenda consilia agitaret, occupandae praefecturae occasionem praebuisse, cum multum et S. Regiae Maiestatis et totius Magni Ducatus Lithuaniae intersit, ne Rigenses ea potiantur. Quam ob rem ex ipsis Baronibus, cuiusmodi ea res esset, diligenter percontati sumus. Qui quidem probitatem et fidem eius maximopere collaudant et nihil minus in animo nullamque cum Rigensibus consuetudinem, praeterquam ut inde necessaria quaeque asportaret, ipsum habuisse affirmant, quin etiam dicunt ipsum eo rumore de se suborto usque adeo vehementer animo perculsum et in tantas sollicitudines coniectum esse, ut in hunc usque diem insano similis Rigae passim discurset. Quum itaque

hunc in modum sese res habeat, iterum atque iterum horum Baronum caussa peramanter Reverendam Generositatem Vestram petimus, ut id negotii commendatissimum sibi habere et apud S. Maiestatem Regiam statuto in loco diligenter adiuvare dignetur. Nos quidem ut id beneficii in nos ipsos collatum esse existimaturi sumus, ita operam sane sedulo dabimus, ut pro eo gratos nos extitisse Reverenda Generositas Vestra intelligat. Quam recte prospereque valere optamus. Datae.

*In folio separato:* Vicecancellario Regni Poloniae, XVII Iulii anno XLVII.

1) *Ioannes Chodkiewicz.*

*N. 6104.*

*S.l., 20.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. cancellario [Valentino Dembiński], et, mutatis mutandis, vicecancellario [Petro Myszkowski] et Eustachio Wołłowicz*
*litterae fidei pro consiliario suo Venceslao Schack a Stangenberg, in quibusdam negotiis ad regem misso, ipsis quoque quaedam relaturo.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 731-732).*

*N. 6105.*

*S.l., 22.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*litterae fidei pro consiliario suo Venceslao Schack, in quibusdam negotiis ad regem et ad ipsum (Chodkiewicz) misso.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 286-287).*

*N. 6106.*

*S.l., 23.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Miłoszewski, venatori Belzensi,*
*nuntiat ad se allatum esse eum et Valentinum Oberfeldt (vel Uberfeldt) bonis, sibi a Gabriele Tarło testamento legatis et eis ad biennium*

*a se concessis (cfr. El. LXXIV, N. 5947), magno cum suo incommodo et* «insigni miserorum agrestium gravamine» *abuti; hortatur ergo eos, ne in posterum ullam eiusmodi rumoribus occasionem praebeant.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 732-733).*

*N. 6107.*

*S.l., 26.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*consulibus Caunensibus*
*nuntiat se, de consilio omnium Ducatus sui ordinum et commissariorum regiorum consensu, decretum publicum contra Iudaeos in Ducatu suo habitantes promulgasse; rogat ergo, ut Iudaeos in civitate eorum degentes vel cum eis negotia exercentes de eiusmodi decreto admoneant, ne ab hodierno die in Ducatu suo cum mercibus suis versari audeant.*

*Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 287-288).*

An rat zu Cawen, mutatione an rhat zw Plotelnn, den 26 July anno etc. 67.

Wir fugen euch hiemit gnadiger wolmainung zu vornehmen, das wir auf jungster alhie gehaltenen gemeinen[a)] tagfart, durch viele unserer armer underthanen, sonderlich aber den handtierenden mann, in underthenighait berichtet, wie sich die Juden, altem bisshero wehrendem gebrauch zuwieder, nunmehr nicht allein in grosser mennige und anzal in unser furstenthumb machen, sondern auch allerley schedliche handlungen und betrugs underfangen und manchen frommen, einfaltigen man, wie solches etzliche unserer underthanen mit ihnen schaden und vorderb wircklichen erfaren, ubel aufsetzen und in schaden furen sollen. Demnach und weil wir uns solchem und allem anderm unserer armen underthanen schaden und nachteil vorzutrachten, dagegen aber und hinwiederumb ihr besstes wider zeit nach vormögen zu wissen unserm tragendem furstlichen ampt nach uns schuldig erkhennen mit reifem gutem rath und vorbedacht, auch einmuettigem schlus, beliebung und vorwilligung der ko.mt. zu Polann, unsers gnedigen hern und freuntlichen ohmen, alhero abgefertigten und in solcher tagfart alhie gewesenen commissarien und dan unserer gemein erbarn landtschaft von allen stenden dahin geschlossen und vorwilliget den Juden alle handlungen, in massen es auch vor altens in diesen landen gehalten und ublich her-

bracht, in unserm furstenthumb gentzlichen zu legen und sie hinfurt darinnen nicht zu leiden oder zu dulden. So wir dann gleichwol fur notig erachtet, das sie vor schaden vorwarnet werden, als haben wier solches durchaus in unserm furstenthumb durch ein offen mandat publiciren lassen und solches auch an euch gelangen zu lassen, fur gut angesehen, mit ahngehaftem gnedigem begeren, ir wollet die Juden, so etwan bey euch sich aufenthalten oder sonst mit euch in handlung stehen, vorwarnen, das sie sich nach dato uber drey wochen in unserm furstenthumb und soweit sich unsere jurisdiction erstrecket, mit ihren wahren oder auch sonsten hernacher nicht finden lassen, viel weniger sich mit den unsern in unserm furstenthumb zu handtieren sich understehen. Solten sie aber uber das darinnen betreten und angetroffen werden, haben wier sie vormittelst unsers mandats dem einhelligen uf gemeiner tagefart gemachten schlus nach, sampt ihren bey sich habenden wahren, dogegen sie auch kheine brieff noch siegel schutzen oder ufhalten solle, preissgegeben, wornach sie sich zu richten etc.

Davidt Gerigke

a) *Supra lineam.*

*N. 6108.*

*S.l., 29.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*Achatium baronem a Dohna, supremum cubicularium suum, ob ademptam ei et fratribus eius praefecturam Novum Molendinum nuncupatam ad regem proficiscentem, commendat et rogat, ut causam eius auctoritate sua interposita apud regem adiuvet.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 734-735).*

*N. 6109.*

*S.l., 29.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*pro baronibus a Dohna, quorum negotium ratione praefecturae Novi Molendini* (Newmule) *in Livonia usque ad eius Grodnam adventum dilatum est, et propter quod Achatius a Dohna, ex fratribus*

*natu maximus, ad regem mittitur, intercedit et rogat, ut causam eorum ita componere conetur, quo dicti barones bonis illis, a fratre ipsorum Henrico hereditate acceptis, quiete frui possint vel, si rex eiusmodi bonis carere noluerit, pecunia vel aliis bonis, in regali Prussiae parte sitis, in compensationem illorum donentur.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 214v-215r).*

*N. 6110.*

*S.l., 29.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*Achatium a Dohna, ex fratribus natu maximum, supremum cubicularium suum, in negotio de praefectura Novi Molendini in Livonia* (Newe Muele) *eis intercedente, ad regem se conferentem, commendat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 215v).*

*N. 6111.*

*S.l., 30.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*iterum commendat negotium baronum a Dohna, quod cum Ioanne Chodkiewicz, capitaneo generali Samogitiae, ratione praefecturae Novi Molendini in Livonia eis intercedit, et rogat, ut erga Achatium a Dohna, ex fratribus natu maximum, supremum cubicularium suum, eam ob causam ad eum proficiscentem, benevolum et clementem regem se exhibeat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 737-739).*

*N. 6112.*

*S.l., 30.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Radziwill «Rufo», palatino Vilnensi, Gregorio Chodkiewicz, castellano Vilnensi, et Eustachio Wollowicz, mutatis mutandis*
*causam baronum a Dohna, ratione praefecturae Novum Molendinum*

*appellatae, a Ioanne Chodkiewicz, Samogitiae capitaneo generali, eis ademptae, iterum commendat (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 375-377).*

*N. 6113.*

*E Regio Monte, 30.VII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Gregorio Chodkiewicz, castellano Vilnensi,*
*nuntiat de decreto, in proximis Comitiis Regiomontanis de communi omnium ordinum consilio, accedente etiam commissariorum regiorum consensu, contra* «fallacissimam Iudaeorum gentem» *promulgato, et rogat, ut de eiusmodi decreto Iudaeos in ditione eius habitantes commonefaciat, ne quisquam eorum ultra 18 diem Augusti currentis anni intra fines Ducatus Prussiae commorari vel inveniri audeat.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 739-741).*

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice syncere nobis dilecte.

Nolumus Magnificentiam Vestram celare in Comitiis, proximis diebus hic in urbe nostra Regiomontana celebratis, de communi omnium ordinum huius provinciae consilio, accedente etiam Dominorum Commissariorum, qui a S. Regia Maiestate Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, huc in Prussiam destinati fuerant, consensu, conclusum esse, ut fallacissimae Iudaeorum genti ob singularem impietatem et Christi, Salvatoris nostri, abnegationem persecutionemque, necnon ob pessimas quasque artes, quibus christianum nomen profitentibus multis modis imponunt, Deo pariter hominibusque invisae, omnis commeandi exercendique commercii facultas toto Ducatu nostro decreto publico quam primum sub omnium bonorum amissione adeoque vitae periculo severe ac graviter interdiceretur. Id decretum typis excusum cunctis locis iurisdictioni nostrae parentibus divulgatum est.

Ne tamen id genus hominum per ignorationem in periculum aliquod prolabatur, ea de re ad Magnificentiam Vestram, in cuius tenutis magna multitudo eorum consedisse dicitur, perscribendum esse duximus. Petimus itaque a Magnificentia Vestra peramanter, velit curare, ut de hoc decreto, et ne quisquam eorum ultra diem appropinquantis mensis Augusti decimum octavum intra fines Ducatus no-

stri commorari aut ostendere sese ausit, maturius commonefiant. Si quis autem, elapso hoc intervallo, illis ex singulari gratia nostra, ut sese in loca non interdicta recipere possint, concesso, alicubi in provincia nostra deprehensus fuerit, istum veniae locum, quascunque tandem causas praetexat, non esse habiturum. Tandem Magnificentiam Vestram recte valere vehementer optamus. Datae.

*In folio separato:* Ad Gregorium Chotkiewitz, Castellanum Vilnensem Grodnensemque Capitaneum, XXX Iulii anno etc. LXVII. Describatur.

*N. 6114.*

*S.l., 2.VIII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi, et, mutatis mutandis, Raphaeli Konopacki*
*nuntiat se ad capitaneos suos Soldaviensem et Neidenburgensem scripsisse eisque mandasse, ut ei petitas 100 oves mittendas curarent.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 216r).*

*N. 6115.*

*S.l., 3.VIII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat se litteras regias de negotio quorundam Iudaeorum ad se scriptas accepisse et de* «perfidia et imposturis» *eorundem Iudaeorum, quos* «fallacissimum istud hominum genus et ab omni veritate alienissimum» *vocat, necnon de damnis subditis suis ab eis illatis queritur; regem ergo certiorem facit de decreto* «de exterminandis *[ex Ducatu suo]* Iudaeis», *communi omnium ordinum consilio et in praesentia commissariorum regiorum promulgato.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1084.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 745-750).*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis de negotio quorundam Iudaeorum, qui de illatis sibi nonnullis iniuriis apud S. Regiam Maie-

statem Vestram supplici libello questi sunt, ad me clementer perscriptas, debita humilitate accepi. Ut autem S. Regia Maiestas Vestra, qua fide quaque fronte fallacissimum istud hominum genus et ab omni veritate longe alienissimum eiusmodi querelas ad se deferre ausum fuerit, tanto rectius perspicere possit, tota de re S. Regiam Vestram Maiestatem diligentius faciam certiorem.

Ac primum quidem quod ad Abrahamum Mosewitz[1)] attinet, cui cum cive Regiomontano Georgio Hardevico[2)] controversia intercedit, id sic habet, quod quidam servitor ipsius Abrahami aliquas merces ab ipso Hardevico emit ea lege, ut ad certum diem solutionem faceret. Verum idem servitor ante terminum solutionis in fugam se coniecit. Cum itaque ipse Abrahamus, fugitivi herus, aliquando Regiomontem venisset, Hardevicus coram iudicio Regiomontano de solutione eum convenit, quod merces illae a servitore eius in usum suum fuissent emptae. Is vero principio profugum illum emptorem servitorem suum fuisse negavit, tandem coram iudicio meo aulico confessus est. Cum itaque de eo, fugitivum nimirum ex familia Abrahami fuisse, constitisset, ius se suum Regiomonti prosequuturum ultro, nemine cogente, recepit, eaque de re actori una et triginta lastis, ut vocant, salis in vadimonium positis, cautionem dedit, mox autem causae iam ad finem ferme perductae diffisus, iuri tergo obverso datam fidem fefellit.

Ceteris Iudaeis cum alio quodam cive Regiomontano, Balthasare Schleff, res est. Hic cum a Iudaeo Grodnensi multis modis esset deceptus, diu multumque cum extremo fortunarum suarum dispendio coram iudicio Grodnensi caussam suam, per se iustam ac planam, prosequutus est. Ac cum sententia quidem ex iure pro se lata, executio vero nulla administrata esset, ope clementissima S. Regiae Maiestatis demisse saepius implorata, ac multis quidem mandatis, quibus tamen parere nemo voluit, impetratis, in eam tandem devenit inopiam et egestatem, ut nunc cum uxore et liberis victu etiam et amictu destitutus, ius amplius suum quaerere non possit. Quam ob rem aliquoties quidem ab eo miserabiliter mihi supplicatum est, ut rebus hunc in modum sese habentibus potestatem Iudaeorum, si qui huc venissent, detinendorum sibi facerem. Non potuit autem id a me, quantumvis ipsius calamitate haud mediocriter affecto, impetrari, quod querelis ad S. Regiam Vestram Maiestatem perferendis causam nullam praebendam esse magnopere existimarem.

Qua re saepe quidem frustra tentata, ad Dominos tandem Commissarios, a S. Regia Vestra Maiestate nuper huc destinatos, confugit, deque iniuria Iudaeorum et miseriis suis gravissime conquestus, Magnificum Dominum Palatinum Brestensem[3)] facile permovit, ut Magnificentia Sua multis precibus a me contenderet, ne subdito meo, usque adeo Iudaeorum malitia decepto et ad summam pauper-

tatem redacto, ulterius deesse vellem, sed Iudaeos adventantes detinere liberum permitterem. Quam ad rem tanto facilius Magnificentia Sua me adduxit, quod et S. Regiae Vestrae Maiestatis partes hic exequebatur et iuris esse affirmabat, ut Iudaei alii pro aliis, quibus deberetur, satisfacere tenerentur.

Ex quibus omnibus S. Regia Vestra Maiestas temeritatem Iudaeorum, et quam inique conqueri ausi fuerint, deprehendere non difficillime potest, quum ipse Abrahamus sponte se huic iudicio submiserit et de caussa sua hic prosequenda vadimonio caverit, Magnificus autem Dominus Palatinus, ut subdito meo Balthasari Schleff detinendorum Iudaeorum potestatem facerem, precibus suis me adduxerit.

Porro interdictae Iudaeis negotiationis in ditione mea haec est ratio, quod ex vetustissima quadam huius terrae libertate Iudaeis hanc provinciam attingere, nedum mercaturam in illa exercere, integrum nunquam fuerit, ac qui contra facere non sunt veriti, praedae expositi fuerunt omnibus. Ab hoc inveterato more cum perpaucis ante annis nonnihil remissum sit et commeandi exercendaeque negotiationis potestatem Iudaei sibi ipsi audacius sumpserint, animadvertendum est multos subditorum meorum perfidia et imposturis eorum in supremas devenisse difficultates, ut subverendum fuerit, nisi audacia illa Iudaeorum reprimeretur et veteris iuris de exterminandis Iudaeis maior ratio haberetur, fore, ut opinione citius plures subditi mei ad eandem perniciem deducerentur. Eo nomine ab omnibus ordinibus ditionis meae durantibus proximis Comitiis etiam atque etiam in praesentia Dominorum Commissariorum mihi diligenter est supplicatum ac tandem de communi consilio decretum de exterminandis Iudaeis promulgatum. Quod quidem cum pro vestustissimi moris in hac terra conservatione magna quadam necessitate suadente susceptum sit, nec pactis, quae Iudaeos comprehendere non possunt, adversetur, S. Regiam Vestram Maiestatem id haud aegre laturam vehementer confido. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati de hoc negotio respondenda esse duxi. Quam Deo Optimo Maximo quam diutissime salvam, felicem ac florentem conservandam commendo. Datae.

Iussu Principis referentibus Consiliariis

*In folio separato:* Ad Regem Poloniae, III Augusti anno MDLXVII.

1) *Iudaeus Msciboviensis (cfr. El. XXXII, N. 1084).*

2) *Hartwig.*

3) *Ioannes Służewski.*

N. 6116.

S.l., 4.VII.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*gubernatrici Inferioris Germaniae [Margaritae Austriacae]*
*pro Ioanne Sonnevil, cive Regiomontano,* «qui quidem in Germania Inferiore natus est, hic autem in ditione nostra consedit uxoremque duxit», *nunc vero componendorum negotiorum suorum causa in patriam profectus est, intercedit et rogat, ut eum ita adiuvare velit, quo difficultatibus et angustiis, in quas* «ab adversariis creditoribus suis» *coniectus est, liberari possit.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 751-752).*

N. 6117.

S.l., 6.VIII.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,*
*pro Matthia Fuchs, cive Regiomontano, cui a Ioanne Chodkiewicz,* «nunc temporis per Livoniam supremo exercituum ductore et gubernatore», *in compensationem damnorum ante triennium acceptorum, praediolum quoddam in districtu Parnoviensi iure hypothecario concessum est, intercedit et rogat, ut auctoriatate sua apud regem efficiat, quo dictum praediolum iure hereditario consequi possit.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 753-754).*

N. 6118.

S.l., 7.VIII.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*pro Christophoro Richter, cui ad intercessionem olim Gabrielis Tarlo vicecancellarius inter scribas suos locum promiserat, concessa ei tamen in biennium liberalibus studiis vacandi facultate, cuius opera* «ob literarum pingendarum elegantiam... ultra totum biennium ad conscribendos quosdam precationum libellos» *se*

*ipsum usum esse scribit, et qui nunc tandem,* «Francofordiae cis Viadrum studiorum suorum curriculo in annum tertium continuato», *in Regium Montem rediit, intercedit et rogat, ne eum propterea quod diutius, quam sibi concessum fuit, emanserit, e numero servitorum suorum excludat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 755-756).*

*N. 6119.*

*S.l., 8.VIII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Demetrio Solikowski, secretario regio,*
*Christophorum Richter, ad Regni vicecancellarium [Petrum Myszkowski] redeuntem, locum inter scribas vicecancellarii iam antea sibi promissum petiturum, commendat (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 756-757).*

*N. 6120.*

*S.l., 9.VIII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Grajewski*
*postulat ab eo, ut ad diem 25.VIII. in bona, quae ei a capitaneo Ortelsburgensi, Elia a Kanitz, vendita sunt, se conferat et praefecto suo Angerburgensi eadem bona vicissim* «debita cum solennitate» *tradat et restituat,* «ac si quid interea temporis in eorum bonorum meliorationem impendit, commonstret» *(cfr. N. 6096).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 757-759).*

*N. 6121.*

*S.l., 1.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Demetrio Solikowski, secretario regio,*
*commendat Nicolaum Balthasar, civem Regiomontanum, cui in negotio quodam apud regem promovendo operam suam humaniter promiserat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 763-764).*

*N. 6122*

*S.l., 3.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iob Breitfuss, burggravio Vilnensi, architecto regio,*
*Bernardum Frisner, sibi ab episcopo Varmiensi [Stanislao Hosio] et Achatio Czema commendatum, commendat et rogat, ut ei in officina sua aliquod officium conferat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 289-290).*

*N. 6123*

*E Regio Monte, 4.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*acceptis binis litteris regiis, pro Iudaeis intercedentibus et violatorum pactorum communium se accusantibus, se acriter defendit, nova argumenta et rationes adversus Iudaeos adducit et sperat regem* «edictum publicum de exterminandis Iudaeis», *consensu commissariorum regiorum et ad preces omnium ordinum Ducatus sui promulgatum, non aegre esse laturam.*

*Cfr. El. XXXII, NN. 1086, 1087, 1094.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 764-771).*

Serenissime Rex *etc.*

Binas a S. Regia Maiestate Vestra his diebus accepi literas, utrasque die praeteriti mensis Augusti XIX[a] Grodnae datas. Quarum alterae negotium, quod subdito et civi meo Regiomontano Balthasari Schlefio cum quibusdam Iudaeis intercedit, continebant et porro de interdictis Iudaeis communibus in ditione mea commerciis agebant. Alterae vero de quibusdam ex ipsis Iudaeis, a Capitaneo meo Ragnetensi[1)], dum istac iter facerent, detentis, certiorem me faciebant.

Quod ad priores attinet, vehementer sane confidebam fore, ut S. Regia Maiestas Vestra responso meo, iam antea ea de re ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripto[2)], clementer acquiesceret et pignerationem, ad intercessionem Magnifici Domini Palatini Brestensis[3)], personam tum temporis S. Regiae Vestrae Maiestatis hic agentis, et iuris esse, ut Iudaei alii pro aliis satisfacere creditoribus tenerentur, affirmantis, languide tandem concessam, indigne aut moleste

amplius non ferret. Quod autem secus nunc eveniat, nemini minus quam S. Regiae Vestrae Maiestati imputandum esse censeo. Hoc vero animum meum in primis maiorem in modum perculit, quod ambae literae violatorum pactorum communium haud obscure me arguebant, cum tamen per totum vitae meae curriculum ab eo statim tempore, quo divo S. Regiae Maiestatis Vestrae parenti (honorificentissimae recordationis)[4] me submisi, nihil aeque operam dederim, quam ne adversus pacta quicquam admisisse videri quoquo modo possem. Si autem nunquam alias pactorum oblitus, aut quicquam contra facere ausus sum, nunc certe eius rei in hoc casu argui nec debeo nec possum.

Ex vetustissima enim huius terrae libertate Iudaeis hanc ditionem attingere, nedum mercaturam in ea exercere, integrum non fuisse, et christianorum pacta Iudaeos, nisi expresse in iis contineantur, comprehendere non posse nemini est obscurum. Neque etiam subditus meus ius suum coram magistratibus ditionum S. Regiae Vestrae Maiestatis non satis diu est prosecutus, neque multis quidem decretis impetratis non satis parum profecit. Toto namque biennio fere huc illuc proficiscendo, uxore et liberis domi relictis et re familiari neglecta, sumptus non exiguos facere coactus et ita ad supremam inopiam et egestatem, ut forum rei sequi amplius non potuerit, redactus est. Licet autem post longum tandem temporis intervallum de debito corruptis quibusdam mercibus aliqua ex parte, nec plene, ei satisfactum sit, foret tamen valde iniquum, si eius, ad impensas quod attinet, quas ipsam debiti summam excedere subditus meus affirmat, ratio nulla haberetur. Domunculam sibi etiam traditam esse non negat, sed eam hac conditione a se acceptam addit, si alter Iudaeus, qui eam vicissim ab se emit, pecuniam bona fide numeraret. Id autem ne in hunc usque diem esse factum. Longe etiam a vero Iudaeos errare asserit, dum literas super ea re, quod integra solutio ei praestita sit, confectas esse iactitant. Praescripsisse quidem ait Iudaeos sibi quandam cautionis formam et, ut eam ratam haberet, postulasse. Se autem insidias sibi strui animadvertens, id facere nullo modo voluisse.

Ne tamen hanc rem acrius videar disceptasse, sed pro inveterata consuetudine et debita subiectione mea S. Regiae Vestrae Maiestati in omnibus summa cum observantia morem libentissimo animo gessisse, merces Iudaeorum, in vadimonium ad postulationem Schlefii depositas, arresto et ipsos Iudaeos cautione fideiussoria liberos pronuntiari iussi, non dubitans S. Regiam Maiestatem vicissim eam inituram esse rationem, qua subdito etiam meo de residuo debito et expensis, quibus ad extremam perniciem devenit, citra longiorem dilationem satisfiat. Quandoquidem autem hae molestiae ex mutuo cum Iudaeis commercio tantum proveniant, fit, ut maiorem in modum

sperem S. Regiam Vestram Maiestatem edictum publicum de exterminandis Iudaeis, cum consensu Magnificorum Dominorum Commissariorum S. Regiae Vestrae Maiestatis, cum plena potestate non ita pridem huc ablegatorum, ad supplices preces omnium ordinum ditionis meae pro vetustissimi moris in hac terra conservatione, magna quadam necessitate suadente promulgatum, nec pactis quidem contrarium, haud aegre amplius esse laturam.

Ceteris autem S. Regiae Vestrae Maiestatis subditis omnibus, qui pactis ipsis comprehenduntur, de interdicto sibi communium commerciorum usu vel de quacunque alia re occasionem conquerendi nullam unquam sum praebiturus, sed hos filii Dei infensissimos et manifestissimos hostes, in persequendis fallendisque hominibus christianis summam artem et gloriam ponentes, ab omnibus Christum Deum confitentibus odio haberi et ab omni conversatione amoveri longe aequissimum est. Cum enim nos homines eos, qui nobis quoquo modo coniuncti sunt, cum inimicis nostris commercium habere impatienter feramus, maximopere mihi cavendum esse censeo, ne si ego quoque eam gentem in Christum blasphemam et Maiestatem eius indies execrantem fovendam suscipiam, Deum graviter offendam et iram eius adversum me irritem.

Iudaeis Ragneti detentis ablata restitui hac quidem vice curabo. Ne autem in posterum cum S. Regia Maiestas Vestra, tum ego huiusmodi molestiis obruamur, sic futurum esse existimo, si S. Regia Vestra Maiestas (quod iterum atque iterum summo studio oro) illos edicto parere clementer iusserit. Ne tamen vel hac in parte quoque S. Regiae Vestrae Maiestati videar defuisse, ad postulata eius hoc etiam demisse concedo, ut Iudaeis transeundi quidem per ditionem meam, sed nulla diutius in ea commorandi, multo minus autem exercendae negotiationis sit facultas. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem Deo omnipotenti ab omnibus malis benigne protegendam et quam diutissime salvam, felicem ac florentem conservandam commendo. Datae Regiomonti, IIII die Septembris anno MDLXVII.

Magister Curiae[5)], Cancellarius[6)], Burggravius[7)]
retulerunt et audiverunt
Et Princeps audivit

*In folio separato:* Regi Poloniae, IIII Septembris anno LXVII.

*Schedula:*

Ut autem Iudaei libertate ea transeundi per ditionem meam eo tutius et securius uti possint, operae pretium esse duco, quotiescun-

que per Ducatum meum transire voluerint, ut sub publicae securitatis aut salvi conductus mei literis hoc faciant, ne, si illud neglexerint, ignarus aliquis libertatis per me eis nunc factae, ex communi huius provinciae decreto publice promulgato molestia eos aliqua afficiat. Datum ut in literis.

1) *Theodoricus Packmohr.*
2) *cfr. N. 6115.*
3) *Ioannes Służewski.*
4) *Sigismundus I.*
5) *Ioannes Iacobus Truchsess.*
6) *Ioannes a Kreitzen.*
7) *Christophorus a Kreitzen.*

## *N. 6124*

*S.l., 4.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*pro auxilio baroni a Dohna, supremo cubiculario suo, in eius et fratrum eius negotio hactenus exhibito gratias agit iterumque eundem Achatium negotiumque illud ei commendat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 216v-217r-v).*

## *N. 6125*

*S.l., 5.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*gratias agit, quod intercessioni suae in negotio baronum a Dohna tantum tribuerit; nuntiat se, rege postulante, Abrahamum a Dohna, cubicularium suum, liberum a se dimissurum esse, ut expeditioni bellicae adversus Moscovitas constitutae interesse possit; negotium eiusdem Abrahami totiusque familiae a Dohna iterum commendat.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1083.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 771-774).*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Generosus ac Nobilis Supremus Cubicularius meus, fidelis mihi dilectus Achatius Burggravius et Baro a Dohna, certiorem me reddidit S. Regiam Vestram Maiestatem ad commendationem meam in negotio tam suo quam totius famiiae suae, ad Novum Molendinum quod attinet, perquam clementem et benignam illi se praebuisse, idque totum eo remisisse, si ex fratribus aliquis operam S. Regiae Vestrae Maiestati suam ad praesentem adversus Moscovitas expeditionem deferret, fore, ut S. Regia Maiestas Vestra eam vicissim erga hanc familiam se declararet, ut illius perbenignam rationem habuisse quam maxime videretur. Ago itaque hoc nomine S. Regiae Vestrae Maiestati, quod tantum intercessioni nostrae tribuere clementer dignata est, etiam atque etiam ingentes gratias, id beneficii non secus, quam si in me ipsum collatum esset, quibuscunque fidelibus obsequiis meis demisse promeriturus.

Nolo autem S. Regiam Vestram Maiestatem celare hactenus per me potius quam per ipsos Barones stetisse, quominus unus ex illis, et praesertim hic Abrahamus, ceteris alibi locorum degentibus, servitia sua S. Regiae Vestrae Maiestati detulerit. Cum enim a puero ipsum in cubiculo meo educaverim et ob egregiam indolem ac navatam mihi fidelem operam charum semper habuerim, atque ipse conditionem valetudinis meae prae ceteris optime novisset, non potui in animum inducere, ut eum a me dimitterem. Nunc vero, cum tam suae quam totius familiae suae mihi in primis dilectae fortunae omnes in eo positae esse videantur, ut missione a me impetrata quam primum ad S. Regiam Vestram Maiestatem advolet, ulterius eum detinendum esse non putavi. Quam ob rem S. Regiae Vestrae Maiestati etiam atque etiam eum commendo, et ut de sua in me benevolentia quam plurimum in ipsum conferat, summo studio contendo. De illo quidem vehementer mihi polliceor fore, ut S. Regia Vestra Maiestas operam eius in constituta adversus Moscovitas profectione (quam S. Regiae Maiestati Vestrae et omnibus ditionibus eius necnon toti Reipublicae Christianae faustam, felicem ac salutarem esse precor) non inutilem sibi fuisse intelligat. S. vero Regia Maiestas Vestra tam ipsum quam fratres eius omnes ad quaevis servitia tanto redditura est alacriores, si ademptam ipsis praefecturam cum omnibus rebus inde ablatis quam primum clementer ipsis restitui mandaverit. Id quo per se aequius est, tanto facilius S. Regiam Vestram Maiestatem facturam esse confido. Quam Deus Omnipotens longis temporibus salvam ac incolumem conservet. Datum.

*In folio separato:* Regi Poloniae, den $5^{\text{ten}}$ Septembris anno 67.

N. 6126

S.l., 5.IX.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Eustachio Wollowicz et, mutatis mutandis, Gregorio Chodkiewicz, castellano Vilnensi, et Ioanni Chodkiewicz, Samogitiae capitaneo generali,*
*Abrahamum baronem a Dohna, cubicularium suum, ex fratribus a Dohna natu minimum, in negotio suo et consanguineorum suorum, ad praefecturam Novi Molendini in Livonia pertinente, ad regem proficiscentem, commendat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 774-776).*

N. 6127

S.l., 10.IX.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*excusat se, quod ad litteras eius, pro Iudaeis ad se scriptas, nihil hactenus responderit; sperat eum ex litteris suis ad regem de hac re datis intellexisse, quid ad intercessionem ipsius eisdem Iudaeis a se indultum sit.*

*Cfr. El. XLII, NN. 2029, 2032.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 776-778).*

Reverende ac Generose, Amice nobis sincere dilecte.

Cum literae S. Regiae Maiestatis Poloniae etc., Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi, in negotio Iudaeorum ad nos scriptae nobis redderentur, una quoque adiunctas Reverendae Generositatis Vestrae literas accepimus. Ad quas quod nihil hactenus respondimus, non negligentia quadam factum est, sed quod negotia ea, quibus in gravi hac aetate nostra occupatissimi sumus, nobis memoriam earum interceperunt. Amanter itaque petimus, ne Reverenda Generositas Vestra hoc de nobis aegrius ferat secusve accipiat. Quid autem ad S. Regiae Maiestatis postulata et Reverendae Generositatis Vestrae intercessionem Iudaeis indulserimus, illud Reverendam Generositatem Vestram ex literis ad S. Regiam Maiestatem nostris iam cognovisse arbitramur, ut repetitione earum hic opus esse non putemus.

Ceterum Reverendam Generositatem Vestram latere nolumus dedisse nos Nobili consiliario et cubiculario nostro Friderico a Canitz in mandatis, ut postulationi Illustris Domini Curlandiae Ducis[1] nostras quoque preces apud S. Regiam Maiestatem adiungat interponatque, de confirmanda scilicet Illustris Dominae Ducissae Curlandiae[2] donatione propter nuptias ab eodem Domino Duce facta. Qua in re cum Reverendae Generositatis Vestrae operam plurimum prodesse posse sciamus, amanter petimus, ut preces eas suo suffragio apud S. Regiam Maiestatem benigne iuvet promoveatque, ut quod ipse Dominus Curlandiae Dux in eo negotio suo et consiliarius noster praedictus nostro nomine petiturus est, non difficulter a S. Regia Maiestate impetretur. Factura Reverenda Generositas Vestra rem eidem Domino Duci nobisque pergratam et per omnem occasionem amicis studiis nostris demerendam. Quod reliquum est, Reverendam Generositatem Vestram rectissime valere optamus. Datae.

*In folio separato:* Ad Dominum Vicecancellarium Regni Poloniae, X die Septembris anno etc. 67.

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Anna, filia Alberti II ducis Megapolensis.*

*N. 6128*

*S.l., 11.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro litteris regiis, de condicionibus pacis ab oratoribus magni ducis Moscoviae allatis tractantibus et benevolentiae regiae erga se plenis gratias agit; consilium regis pactiones pacis cum Moscis interrumpendi probat; dolet se et filium suum, alterum ob senectutem et affectam valetudinem, alterum ob nimiam iuventutem, expeditioni bellicae contra Moscos constitutae in persona interesse non posse; pulveris tormentarii a rege postulati copiam aliquam Caunam se esse missurum pollicetur.*

*Cfr. El. XXXII, NN. 1090, 1102.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 217v-219v).*

An den konig zu Polan, 11 Septembris anno 67.
Gnedigster und freuntlicher, geliebter herr und oheimb.

E.Ko.Mt. gnedigstes und gar freundtliches, den andern tag laufenden monats zu Knischin datirtes schreiben, hab ich von E.Ko.Mt. cemmerern, zeigern dieses, heute dato alhie empfangen und daraus anfengklichen, wes die jungsten bein E.Ko.Mt. gewesene muscowiterische botschaft fur conditiones, auf welche ettwahn eine frideshandlung getroffen werden mochte, vorgeschlagen und welcher gestalt sie volgendes von E.Ko.Mt. abgefertiget, und daneben vorstanden, wes E.Ko.Mt. ahn mich etzliches pulfers halben zu vorstehendem irem itzigen zuge gnedigst sinnen und begeren thun. Wiewoll ich nun von solchem unbillichen und unlöblichen des Muscowieters[1] suchen auch vorhin von andern weitleuftig bericht empfangen, ist mihr doch diese E.Ko.Mt. ahnmeldung von hertzen lieb und angenehme gewesen, und solches darumb allein, weil sie von E.Ko.Mt. als meinem gnedigen und lieben herrn herkhommen. Thue derwegen gegen E.Ko.Mt. ich mich solcher gnedigen und freuntlichen mittheilung und das E.Ko.Mt. mich, iren alten abgehenden lehensfursten, so gnediglichen lieben, zum underthenigsten und allerfreuntlichsten bedancken.

Und ob ich woll gerne gesehen, auch gehoffet, das sich E.Ko.Mt. mit dem Muscowitter, zufurderst E.Ko.Mt. selbst und dan diesen gemeinen landen, furnemblichen aber den lang betruebten und bedruckten landen Eiflandt und Littaw zu ruhe, trost und besten in ettwan eine friedseinigung eingelassen haben solten, mus ich doch bekhennen, das die vorgeschlagene conditiones also schwer und untreglich, und E.Ko.Mt. ich selbst mitnichten darzu raten khönnen. Derwegen E.Ko.Mt. nicht allein pillig darzu gedencken, dan auch hoch darin zu loben sein, wie sie dem ubermutigen feinde sein durst und ubermut sturtzen und wehren mögen. Und sodann E.Ko.Mt. in eigner königlicher person auf der stende in Littauen underthenigsts instendigs anhalten und bitten zu felde zu ziehen bedacht, wolt ich wol wuntschen, das Gott wolte, ich were so starck und hette mit mihr sowoll meinem sohn[2] die gelegenheit, das wir beide in eigner person mit E.Ko.Mt. ausziehen und gutt und blutt bey derselben (wie wier dann, do mich mein hohes alter und schwere tegliche leybes schwacheit, meinen sohn aber seine jugent und unmundige jhare daran nicht behinderten oder davon abhielten, darzu von herzen geneigt und bereitwillig), als unserem gnedigen und vielgeliebten hern und oheimen, darstrecken und aussetzen und unsere underthenige trew im werck beweisen und darleisten möchten. Weil es aber mit uns beiden als obgemelt gelegen, zweifel ich nicht, E.Ko.Mt. den guten willen fur die wercke gnediglichen annehmen und so vollkhommen, als wann die that dabey wehre, ir gefallen lassen werden.

Ich hab aber bevolen E.Ko.Mt. derselben gnedigem und freuntlichen beger nach, wiewoll ich itzo selbest an pulver nicht grossen vor-

rat habe, dannest damit, wie ich mich stets gegen E.Ko.Mt. aller underthenigen dinst und willfarigkheit, ohne einigen ruhm zu reden, bevlissen, E.Ko.Mt. auch hierinnen meinen gehorsamen, underthenigen willen und gemuet zu spuren und abzunehmen, eine neunzig centner schlangen und ein zehen zentner pirschpulfer nach Cawen zuzuschicken, daselbst E.Ko.Mt. durch derselben bevelchhaber es empfahen lassen werden, zum underthenigsten allein bittende, E.Ko.Mt. geruche dabey mein underthenige zun E.Ko.Mt. tragende lieb und gewogenheit zu erkhennen und mein und meines geliebten sohnes, auch landt und leute, gnedigster könig und her zu sein und zu bleiben. Das wil ich mich mit Gottes gnediger hulf dorhin bearbeiten und bevleissigen, das ich der getrewe lehensfurst und blutsfreunt ersterben und meine underthenige trew mit mihr in meine gruben nehmen, meinen sohn auch zu gleicher undertheniger liebe, trew und volge ermahnen und ziehen möge. Wuntsche hieneben E.Ko.Mt. von grundt meines herzens, das E.Ko.Mt. solch pulfer viel zutreglichen sein und E.Ko.Mt. dem Muscowieter sein gantzes landt damit einnehmen und umbkheren mögen. Der getrewe Gott wolle bein E.Ko.Mt. sein, sie in allen ihren anschlegen also, damit sie glucklichen und nach E.Ko.Mt. selbest eignen wuntsch und begeren ausgehen, leiten und furen, ihr gluck, heil, sieg und uberwindung, auch stercke des leibes vaterlichen vorleyhen und mit gnaden geben. Das E.Ko.Mt. solches ihre christlichs, löbliches und königliches vorhaben Gott dem almechtigen zu lob und ehren, E.Ko.Mt. zu ruhm und trost, ruhe, friedt etc. Datum.

Ex mandato Principis proprio

1) *Ioannes IV Basilides, m. dux Moscoviae.*

2) *Albertus Fridericus.*

*N. 6129*

*S.l., 12.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, capitaneo Lomzensi [Gabrieli Grabowiecki]*
*rogat, ut subdito suo Alberto Czezinski [Życzyński], ad coemendos pro usu aulae suae nonnullos boves in ditiones regias misso, errorem condonare velit, quod per oblivionem et incuriam, nullo autem defraudandorum vectigalium regiorum animo, in teloneo Lomzensi emptorum boum mentionem non fecerit nullumque vectigal pro eis persolverit.*
*(Latine)*
*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 778-779).*

N. 6130

S.l., 12.IX.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,*
*pro litteris, benevolentiae plenis et nova sibi iucunda nuntiantibus, gratias agit et regi eiusque exercitui gratulatur,* «quod plausibili victoria non exiguum hostium numerum prostraverint inque captivitatem redegerint»; *rogat, ut saepissime tam de exercitu regio quam de aliis quoque rebus scitu dignis se certiorem faciat.*

*(Schedula: nuntiat se regi, ipso postulante, mutuasse centum centenarios pulveris tormentarii et rogat, ut nomine regis pulverem eum Cauna Vilnam vel alium in locum asportandum curet).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1090.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 780-781).*

N. 6131

S.l., 16.IX.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*litterae fidei pro consiliario suo Friderico a Kanitz, qui una cum duce Curlandiae [Gottardo Kettler] ad regem proficiscitur.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 782-783).*

N. 6132

S.l., 16.IX.1567.

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Ostroróg, castellano Międzyrzecensi,*
*pro litteris, constantis eius erga se voluntatis plenis, gratias agit; nuntiat se mentem adhuc sanam in languido corpore habere, reliqua vero voluntati divinae commisisse; filios eius et totam familiam sibi et filio suo commendatissimam fore scribit.*

*Cfr. El. XLII, N. 2033.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 783-785).*

Magnifice ac Generose, Amice ac Frater nobis perchare.

Redditae nobis sunt per Achillem Scipionem literae Magnificentiae Vestrae, amoris erga nos plenissimae. Etsi autem multis antea argumentis sincerum Magnificentiae Vestrae erga nos animum perspectissimum habemus, tamen his ad nos literis suis multo contestatiorem reddere illum Magnificentia Vestra videtur. Perquam grata autem nobis est constans Magnificentiae Vestrae erga nos voluntas. Cumque in hac affecta et grandi aetate nostra nihil illam de pristino studio suo remisisse intelligamus, plane secum statuat Magnificentia Vestra nos personam illius, bene de nobis merendi promptissimam, charissimis, licet absentibus, ulnis ita amplecti, ut magno videndi eam, non minus ac Magnificentia Vestra, ante suprema fata nostra desiderio teneamur. Quo etiam maior est Magnificentiae erga nos Vestrae amor, eo maiore nos erga illam redamandi studio ferri, ut hac in parte nemini priores prae nobis partes cedamus.

Quod ad valetudinis nostrae statum attinet, Deo gratias agimus, quod in languido corpore mens sana et pro qualitate aetatis nostrae bene affecta in nobis adhuc est. Reliqua omnia dispositioni divinae a nobis commissa sunt. In quo ut vivimus et movemur, ita eius voluntati submisse corporis et animi nostri robur gubernandum relinquimus. [a]Internuntium Magnificentiae Vestrae[1] libenter vidimus et audivimus. Is Magnificentiae Vestrae de animi nostri sententia uberius referet[a]. Filios Magnificentiae Vestrae[2] adeoque totam ipsius familiam, non minus ac nostram propriam, nobis commendatam esse plane sibi Magnificentia Vestra persuadeat. Erimusque filio nostro[3] hortator et monitor, ut quo nos Magnificentiam Vestram eiusque familiam amore prosequimur, Sua Illustritas, si non maiore, tamen pari illam affectu amet nostraque vestigia per omnem aetatem suam sequatur. Atque haec Magnificentiae Vestrae amanter ac fraterne rescribenda esse duximus. Quam feliciter in longos annos valere a Domino Deo exoptamus. Datae.

*In folio separato:* Stanislao Comiti ab Ostrorok, XVI Septembris anno etc. LXVII.

a)-a) *In conc. expunctum, in Ostpr. Fol. deest.*

1) *scil. Achillem Scipionem.*

2) *Ioannes et Nicolaus.*

3) *Albertus Fridericus.*

*N. 6133*

*S.l., 18.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Grajewski*
*nuntiat contagium pestis in Regio Monte adhuc grassari, propterea se decrevisse in negotio inter se et illum intercedente ad 29 diem Septembris commissarios suos Angerburgum mittere, et postulat, ut ipse quoque eo die Angerburgi compareat, quo negotium illud transigi et finem tandem suum consequi possit (cfr. NN. 6096, 6120).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 785-786).*

*N. 6134*

*S.l., 19.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Constantino Ostrogski, palatino Kioviensi,*
*pro litteris et bonae valetudinis auguriis, per Achillem Scipionem sibi allatis, gratias agit; valetudinis suae eam nunc esse conditionem scribit, ut* «singulis prope horis dissolvi et cum Christo esse» *desideret; reliquum vitae dispositioni divinae se commisisse Deumque orare, ut usque ad finem se* «in vera fide et agnitione Filii sui conservet»; *expeditionem contra Moscum constitutam regi et ipsi, ei interfuturo, faustam, salutarem et honorificam esse exoptat.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 786-789).*

Illustris Princeps, Amice ac Frater nobis perchare.

Quod Illustritas Vestra nos per egregium virum Achillem Scipionem invisere dignata est, fecit hoc ex abundantia perveteris in nos amoris sui. Eoque nomine magnas Illustritati Vestrae gratias agimus. Quia vero idem Achilles Scipio verbis Illustritatis Vestrae nobis fausta et secunda omnia roburque valetudinis diuturnum comprecatus est, clementer ab ipso postulavimus, ut reversus ad Illustritatem Vestram omnia ea multo uberius Illustritati Vestrae reprecaretur. Nihil enim tam in valetudine quam fortunis ex omni parte pro voto prosperum et felix Illustritati Vestrae obtingere potest, quod nos illi non multo laetius exoptamus.

Ceterum quod valetudinem nostram attinet, eius in hac grandi

aetate nostra nunc ea est qualitas et conditio, ut singulis prope horis dissolvi et cum Christo esse desideremus, totumque hoc, quod in nobis adhuc est vitae reliquum, Dei dispositioni commisimus. Quem indesinenter oramus, ut nos ad extremum spiritus nostri halitum in vera fide et agnitione Filii sui conservet. Intelleximus praeterea ex eodem Achille Scipione Illustritatem Vestram cum S. Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, in Moschicam expeditionem ituram esse. Eam profectionem S. Regiae Maiestati eiusque Regno et dominiis omnibus faustam et salutarem, Vestrae quoque Illustritati honorificam esse exoptamus Deumque oramus, ut S. Regia Maiestas prosperis auspiciis manus cum hoste conserat et devicto eo cum laeta victoria ad suos redeat. Utinam ea esset nostrae et filii nostri aetatis ratio, nihil nobis foret charius quam S. Regiam Maiestatem comitari et in S. Regiae Maiestatis Suae obsequiis proelio contra eum hostem experiri. Sed cum in eo facultas nos nunc deficiat, precibus ad eum ardentibus felicissimos S. Regiae Maiestati eiusque exercitui successus exorare nunquam intermissuri sumus, petimusque amanter, ut Illustritas Vestra, sicut consuevit, nos S. Regiae Maiestati per omnem occasionem de meliori nota commendare ne desinat ac subinde de rebus in expeditione ea gestis, quantum scire licebit, nos certiores reddat. Factura nobis Illustritas Vestra rem pergratam ac amicis fraternisque studiis nostris compensandam. Quod superest, Illustritatem Vestram in felici rerum omnium incremento rectissime valere optamus. Datae.

Cancellarius[1)] praesente Burggravio[2)] audivere[z)]

*In folio separato:* Duci Constantino, XIX Septembris anno 67.

z) *Sic in ms.*

1) *Ioannes a Kreitzen.*
2) *Christophorus a Kreitzen.*

*N. 6135*

*S.l., 21.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat condiciones in negotio Pauli Wobeseri a duce Pomeraniae oblatas se acceptare non posse et rogat, ne rex postulatis ipsius Wobeseri aut intercessioni ducis Pomeraniae pro eo factae consensum ullum praebeat, sed mature potius cogitet, quo pacto pro tot damnis et iniuriis a Wobesero utrique, tam regi quam sibi, illatis satisfieri queat.*

*Cfr. El. XXXII, NN. 1089, 1093, 1100.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 789-798).*

Serenissime Rex *etc.*

Quum negotium Wobisserianum, quod non solum dignitas et existimatio mea, nec meae ditionis tantum, sed totius etiam Regni S. Regiae Vestrae Maiestatis pax, tranquillitas et quae ex his dependet salus, haud mediocriter in eo periclitari videantur, vehementer mihi cordi sit, meque pro rei necessitate maximopere sollicitum hucusque distineat, idcirco nullas non perquirendas vias esse existimavi, quae quidem tam S. Regiae Vestrae Maiestati et inclyto Poloniae Regno, quam mihi, in primis vero saluti communi ex usu fore quoquo pacto apparerent. Proinde cum ad praestitutum Pentecostes praeteritae festum[1)] legationem, quae causam meam coram S. Maiestate Vestra Regia adversus Wobisserum prosequeretur, Petricoviam ad generalem Regni Conventum[2)] decrevissem, ipse Wobisserus vero fidei ac cautionis abs se datae parum memor, ad vadimonium promissum minime veniret, operae pretium me facturum ratus sum, si tota de re, quaenam mea adversus Wobisserum essent gravamina et quibus illi conditionibus a S. Regia Maiestate Vestra ad tempus praestituta, qua certo rediret die, in patriam concedendi facultas esset permissa, ad Illustrem Pomeraniae Ducem, Dominum Barnimum seniorem etc., diligenter perscriberem et Illustritatem eius, ut Wobisserum obligationis suae admoneret easque maxime rationes, quibus ille ad comparendum coram S. Regia Vestra Maiestate cogeretur, iniret, pro ea, quae mihi cum Illustritate eius intercedit, necessitudine, etiam atque etiam obtestarer. Quod quidem binis literis summo studio a me est factitatum.

Ad eas his diebus ab Illustritate eius mihi responsum est, secius autem multo quam ego in animum mihi induxeram. Cui quidem responso exemplum etiam literarum eadem de re ad S. Regiam Maiestatem Vestram ab Illustritate eius scriptarum, cum supplicatione ipsius Wobisseri prolixa, adiunctum fuit. In qua ipse Wobisserus ex omnibus ferme latebris nonnullas satis frigidas caussas protrahit, quibus se quominus ad diem praestitutam comparuerit, etsi id se facturum vadimonio promisso caverit, excusatum iri confidat. Dein multis precibus ab Illustritate eius contendit, velit apud S. Regiam Vestram Maiestatem hac excusatione perscripta porro intercedere, ut ea controversia tandem ex foederibus et pactis eo remitteretur, ut cum S. Regia Maiestas Vestra, tum Illustris Pomeraniae Dux commissarios utrinque suos ad certum tempus et locum decerneret, qui alicubi in finibus Regni Poloniae et ditionis Pomeranicae hoc negotii cognoscerent, idque tandem ex iuris ordine legitime deciderent, hoc tamen ipsi Wobissero reservato, ut is eisdem commissariis unum vel plures adiungendi liberam haberet facultatem, tum etiam ut salvo (uti vocant) conductu sufficienter ipsi prospiceretur, quo ad locum destinatum et inde vicissim, quo vellet, absque quocunque impedi-

mento ire ac redire cum omnibus suis sine ullo incommodo aut periculo posset, tum se, si ego et consiliarii quidam mei, cum quibus sibi omnino iure agendum esset, ad eundem diem ac locum pariter in ius legitime essemus vocati, sibique ablata cum scriba regestra et codicillos rationum secum habente ac nunc quidem in Austriam ad S. Maiestatem Caesaream[3)] profecto a me forent restituta, caussam libenter dicturum.

Has conditiones ipse Pomeraniae Dux non existimare se scribit ab aequitate esse alienas, petitque, ut ego quoque ea via controversiam Wobisserianam diiudicari non invitus velim permittere, persuadens sibi S. Regiam Vestram Maiestatem se ad postulata ex pactis et foederibus haud difficilem praebituram esse. Ego autem, cum quorsum ipse Wobisserus eat, non obscure intelligam, vix aliam transigendi huius negotii rationem hac ipsa periculosiorem aut minus tutam esse censeo. Pacta quidem Regno Poloniae cum Pomerania intercedentia quid contineant, mihi non plane constat. Hoc tamen vel coniectura assequi facile possum, in controversiis de finibus aut aliis rebus, inter Serenissimos Poloniae Reges atque ipsos Pomeraniae Duces exortis, non autem in talibus, cuiusmodi haec Wobisseriana est, eam fortasse iudicii formam sequi oportere, foretque, si ab inita semel ratione discederetur, et rem plane certam, quando Wobisserus, ut coram S. Regia Vestra Maiestate iis, qui adversum se iure agere velint, respondeat, vadimonino sub verbo ac honore boni, nobilis ac militaris viri promisso astringatur, denuo in discrimen longe maximum vocare, nec consultum satis nec tutum.

Quis enim non videt Wobisserum, pro ingenio suo versipelli, non secus ac alterum Phrotheum[a)] in alias atque alias formas sese convertentem, hoc solummodo quaerere, quo pacto vadimonii obligatione remissa, tandem in universum liber et nullis iuris vinculis obstrictus suo in posterum more possit vivere et tam S. Regiae Vestrae Maiestati quam mihi impune illudere, necnon hostilia quaeque adversus hasce terras moliri. Atque hanc opinionem meam, praeter alia multa ac totam negotii speciem, hoc etiam confirmat, quod tum se iuri pariturum pollicetur, quando ego curassem, ut scriba suus cum regestris et rationum codicillis ex Austria ad se rediisset. Quod quidem quo iure a me flagitet, cum nulla alia conditione ipsum scribam, quam ut ad eum se reciperet, iam antea ex iussu S. Regiae Vestrae Maiestatis dimiserim, non video. Ego-ne, quod minister illius domini exemplum secutus, secus ac debuit, facere ausus fuerit et pro Pomerania in Austriam se contulerit, merito accusor? Ac fortasse non longe etiam a vero aberraverit, si quis suspicetur ex composito scribam aliam viam, quam oportuit, esse ingressum, ne si is cum libris rationum praesto esset, dominus prorsus nullum fugiendi iudicii ac iuris haberet praetextum. Quibus rebus hunc in modum sese

habentibus, ne in oblatas conditiones ullo pacto consentiam aut rem eo, uti petitur, deduci permittam, amplitudo et dignitas S. Regiae Vestrae Maiestatis, existimatio propria ac salus harum terrarum communis etiam atque etiam vehementer mihi dissuadent.

Quum autem S. Regia Maiestas Vestra pluribus literis, ac non ita pridem per legatos etiam meos, certo mihi promiserit se omnes quaesituram esse rationes, quibus et sibi et mihi de Wobissero satisfieret, operamque daturam, ut eum stultae petulantiae suae et violatae militaris sacramenti religionis quam maxime paeniteret, maiorem in modum enixe ab ea contendo, ne postulatis ipsius Wobisseri aut intercessioni Illustris Pomeraniae Ducis consensum ullum praebeat, eaque in re gravissimis periculis ac ingentibus incommodis inde consequuturis moveri se patiatur. Quin de eo potius mature cogitet, quo pacto et sibi ob non servatam Wobissero fidem et mihi primum de pecunia non exigua literis repressaliorum aliisque multis, deinde et mihi et consiliariis quibusdam meis de damnis, iniuriis ac contumeliis quam plurimis gravissimisque ex iusto et aequo satisfiat. Quod tum futurum est, cum S. Regia Maiestas Vestra has iniurias omnes totumque hoc negotium, cum iis, quae oriri inde possint, periculis, sibi mecum (uti perbenigne et humaniter recepit) commune esse statuerit, ipsumque Wobisserum tali custodiae tradi, ne inde vicissim pro libitu elabi aut impune quosvis maledictis et iniuriis lacessere queat, clementer curarit. Nec moveat S. Regiam Maiestatem Vestram, quod ex honestissima familia sit prognatus, cum non de origine ipsius, sed factis ea indignis controversia haec promanet. De familia quidem tota, praeter hunc unum Wobisserum, optima quaeque mihi polliceor eamque gratia ac benevolentia minime vulgari complector. Quare S. Regia Vestra Maiestas, si eam (uti spero) summae curae habuerit, utilius aut magis necessarium facere nihil poterit, et ego S. Regiae Vestrae Maiestati propterea non minus quam ob maxima quaeque in me collata beneficia sum debiturus, optatum interim ad haec responsum maximo desiderio expectans. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu clementer conservet incolumem eique secundissimos rerum omnium successus largiatur etc. Datae etc.

Cancellarius[4] audivit
Doctor Jonas legit

a) *Sic in ms. (pro: Proteum).*

1) *18.V.1567.*

2) *Comitia a 7.IV. ad 20.VI.1567 celebrata.*

3) *Maximilianus II.*

4) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6136*

*S.l., 21.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]*
*quid de Paulo Wobesero ad regem a se scriptum sit, eum ex eisdem litteris suis ad regem datis intellecturum esse nuntiat et rogat, ut consilio et opera apud regem efficiat, ne eiusdem Wobeseri postulatis aut Pomeraniae ducis intercessioni locum dare velit, neque ipsius ipsiusque familiae maiorem quam dignitatis propriae habeat rationem.*

*Cfr. El. XLII, N. 2035.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 797-800).*

Salutem et benevolentiam nostram.
Reverende ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Quas tandem in universum elabendi occasiones ac vias Paulus Wobisserus Pomeranus perquirat, Reverenda Generositas Vestra ex iis, quas ea de re ad S. Regiam Maiestatem Poloniae etc., Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, perscripsimus, literis plenius cognoscet. Quum autem ne haec res Wobissero satis astute et callide ab eo cogitata succedat, non nostra solum ditionisque nostrae, sed ipsius etiam S. Maiestatis Regiae totiusque inclyti Poloniae Regni vehementer intersit, a Reverenda Generositate Vestra, ut ipsa id mali pro singulari sua prudentia atque eximia apud S. Regiam Maiestatem auctoritate avertere velit, etiam atque etiam summo studio contendendum esse existimavimus.

Rogamus itaque Reverendam Generositatem Vestram magnopere, cum novis istis oblatis conditionibus et fori declinatione Wobisserum nil aliud quaerere facile perspiciat, quam ut ab universis iuris vinculis, quibus a S. Regia Maiestate astrictus est, prorsus exsolutus, tam S. Maiestati Regiae quam nobis pro libitu possit illudere ac iam dudum affectatam more et arbitrio suo vivendi facultatem tandem adeptus, pro effreni animi sui libidine hostilia quaeque adversus has terras moliri, dignetur Reverenda Generositas Vestra consilio atque opera sua apud S. Maiestatem Regiam eo rem deducere, ne consensum S. Regia Maiestas Wobisseri postulatis aut Illustris Domini Pomeraniae Ducis[1)] intercessioni ullum praebeat, nec ipsius familiaeque eius, cum qua quidem ut nobis controversia ulla intercedat tantum abest, ut nobis etiam optima quaeque de illa polliceamur, nec vulgari sane eam gratia atque benevolentia prosequamur, maiorem rationem quam dignitatis propriae, nostrae existimationis ac salutis denique communis habendam esse in animum inducat, ne si nobis

de Wobissero pro ingenti rei necessitate in omnibus non satisfiat ac alia deinde incommoda consequantur, lenitate S. Regiae Maiestatis id accidisse ipsamque caussam nostram iustae curae, quod quidem se facturam aliquoties et per literas et per legatos nostros clementissime recepit, non habuisse conqueri merito possimus. Idque adeo Reverendam Generositatem Vestram sedulo et summa cura facturam, pro illius in nos singulari studio ac multis in rebus perspecta egregia fide, vehementer nobis persuasum habemus. Reverendam quidem Generositatem Vestram sic plane statuere secum velimus, se per hanc caussam bene de nobis merendi antehac vix aliam occasionem iustiorem habuisse. Quo plus igitur operae, studii, diligentiae atque amoris erga nos in hoc negotium ex usu nostro conficiendum contulerit, eo ad mutuam bene de ipsa quoque merendi voluntatem perpetuo futuri sumus paratiores. Quam eo minori studio Deo omnipotenti salvam ac incolumem conservandam commendamus, quam ipsi caussam hanc nostram etiam atque etiam commendatam esse cupimus. Datae.

Cancellarius[2)] audivit
Doctor Jonas legit

*In folio separato:* Vicecancellario Regni Poloniae, XXI Septembris anno etc. LXVII.

1) *Barnimus IX.* 2) *Ioannes a Kreitzen.*

*N. 6137*

*S.l., 22.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Gabrieli Grabowiecki, tribuno Lomzensi,*
*scribit se neque* «pro pauculis istis ovibus», *neque quod subditum suum Nicolaum Narzymski, castellanum Sieprcensem, cohortatus sit, ut ab omni violentia et iniuria abstineret, ullam gratiarum actionem desiderasse; permolestum vero sibi accidisse, quod intellexerit dictum Narzymski nondum prorsus quiescere velle.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2034.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 800-802).*

*N. 6138*

*S.l., 26.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Zborowski, castellano Biecensi,*
*iuvenem Ludovicum Rauter, cubicularium suum, cum litteris ad eum mittit et commendat; ei, de mandato regis et omnium Regni Poloniae ordinum legationem in Turciam suscepturo, a Deo precatur, ut non solum eum salvum et incolumem eo deducat et reducat,* «sed totam eam legationem ad divini nominis sui gloriam, ad incrementum amplissimi Poloniae Regni et totius Reipublicae Christianae commune emolumentum clementer dirigat».

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 802-804).*

*N. 6139*

*S.l., 26.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Zborowski, castellano Biecensi,*
*nobilem adulescentem Ernestum Crosselium, per aliquot annos cubicularium suum, in Turciam in legatione profecturo commendat et rogat, ut ipsum itineris sui comitem assumere velit.*

*(Schedula: similiter commendat alium subditum suum, Mauritium a Wilmansdorf, qui* «magno Turciae videndae desiderio tenetur», *et petit, ut eum numero comitum itineris sui in Turciam ascribere velit).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2039.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 804-806).*

*N. 6140*

*S.l., 27.IX.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Zborowski, castellano Biecensi,*
*nobilem adulescentem Eustachium Sigler, per aliquot annos filii sui servitorem, commendat et rogat, ut eum quoque numero servitorum et comitum itineris sui in Turciam suscepti cooptare velit (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2039.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 806-808).*

*N. 6141*

*S.l., 27.IX.1567.*

*Albertus Fridericus dux in Prussia iunior*
*Petro Zborowski, castellano Biecensi,*
*Eustachium Sigler, per aliquot annos servitorem suum, commendat et petit, ut eum itineris sui in Turciam suscepti comitem assumat (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2039.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 808-810).*

*N. 6142*

*S.l., 7.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*regi Galliae [Carolo IX] et, mutatis mutandis, regi Hispaniae [Philippo II] et reginae Angliae [Elisabeth I]*
*pro consuetudine sua annua decem falcones dono mittit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 57, f. 815.*

*N. 6143*

*Ex arce Tapiau, 9X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Grajewski*
*ad dirimendam controversiam, quae ei cum Elia a Kanitz ratione bonorum quorundam ab illo ei venditorum intercedit, locum Angerburgum et diem primam Decembris proximi constituit; cum tamen controversia durante eadem bona negligi et eorum usum in dies magis ac magis imminui videat, admonet eum, ut bona eadem, tanquam feudalia et superioritati suae subiecta, sibi quam primum cedere velit.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 815-818).*

Ex literis commissariorum nostrorum, ad nos de tractatu negotii Angerburgensis inter te et Eliam a Kanitz scriptis, cognovimus non potuisse istic eam controversiam, quae de bonis tuis ab Elia Ka-

nitz emptis tibi cum eodem Kanitz intercedit ratione eius, quod ea bona tanquam feudalia iure superioritatis nostrae nobis usurpare constituimus, componi et sopiri, partim quod damna tua nimis magna aestimaveris, partim etiam quod ad legittimum iuris ordinem atque processum adversus te instituendum provocaveris. Etsi autem non dubitamus te iuri et superioritati nostrae non invitum cessurum, nec expetiturum aliud quam quod moribus et receptis legibus ditionis nostrae inveteratum est, tamen te de immodicis damnis conquerentem et ad legittimam iuris viam provocantem benigne audiendum et admittendum esse censuimus. Et quamquam nunc ob grassantem luem pestilitatis perdifficile est locum aliquem certum et tempus dirimendae illius controversiae constituere, tamen ut lis semel inchoata perficiatur, designavimus ad eam caussam eundem locum Angerburgensem diemque tibi praefiniendum esse duximus ad diem I Decembris proximi, sicut et praesentibus praefinimus et constituimus, ut tunc coram commissariis nostris, quos istuc deputaturi sumus, iudicialiter compareas totamque causam, quam ratione bonorum a Canitio venditorum habere te existimas, coram illis tum temporis proponas legittimamque eius decisionem istic expectes.

Quandoquidem autem ex iisdem commissariis nostris percepimus bona illa non solum negligenter in hac controversia haberi, sed etiam a rusticis culturam prorsus nullam in illis praestari, ideoque variis detrimentis affici ac in dies magis usum eorum imminui, ideo ex re tam nostra quam tua esse videtur ea bona citra gravius detrimentum in nostram possessionem venire. Quare te admonendum esse duximus, ut ea nobis bona voluntate quam primum cedare. Nos vicissim hoc in tuum commodum praestabimus, ut ea pecunia, quae pro bonis illis debetur, integra penes nos, donec controversia, quae tibi cum Canitio de damnis intercedit, decidatur tibique de damnis ex aequo et bono satisfactum fuerit, remaneat. Facturus ea in re officium boni et fidelis subditi nostri, idque nos vicissim omni gratia erga te tuosque prosecuturi sumus.

*In folio separato:* Graiefski. Datae ex Tapiau arce, IX Octobris anno etc. 67.

*N. 6144*

*S.l., 13.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*in scheda litteris adiecta communicat ea, quae ex Germania sibi nuntiata sunt, et rogat, ut ea rex secum prudenter ponderet et in omnem eventum rebus suis invigilet,* «cum iacula praevisa minus fe-

riant»; *promittit se, si quid certius de his rebus cognoverit, regem de omnibus certiorem redditurum esse.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 818-819).*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quae ex Germania mihi nuntiantur, in schedam hisce adiectam conscribi iussi. Quia vero S. Regiae Vestrae Maiestatis non parum interest illa scire, pro officii mei debito S. Regiae Vestrae Maiestati communicanda esse duxi, ut (cum iacula praevisa minus feriant) S. Regia Vestra Maiestas clementer prudenterque ista secum ponderet proque sua singulari providentia in omnem eventum (tametsi me monitore opus non habet) rebus suis invigilet. Deus Optimus Maximus omnia hostilia avertat et perniciosorum consiliorum conatus frangat.

Iniunxi autem quibusdam ex meis, ut de his rebus diligentius perquirant citisque itineribus me, quid certi cognoverint, doceant. Quicquid eorum porro perlatum ad me fuerit, confestim S. Regiam Vestram Maiestatem certiorem reddam. Atque haec S. Regiam Vestram Maiestatem celandam esse non putavi, Deumque oro, ut S. Regiae Vestrae Maiestati augeat corporis et animi robur diuturnum resque illius omnes prosperis successibus fortunet. Datae.

Ex relatione Domini Curiae Magistri Truchsesii[1)]

*In folio separato:* Regi Poloniae, die 13 Octobris anno Domini 67.

1) *Ioannes Iacobus Truchsess.*

*N. 6145*

*S.l., 13.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*litterae fidei pro Friderico a Kanitz, consiliario et internuntio suo.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 820-821).*

*N. 6146*

*S.l., 13.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Radziwill «Rufo», palatino Vilnensi, et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz*
*litterae fidei pro consiliario suo Friderico a Kanitz, in quibusdam negotiis, ducem Curlandiae [Gottardum Kettler] concernentibus, ad regem misso.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 819-820).*

*N. 6147*

*Ex arce Tapiau, 14.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*consulibus Caunensibus*
*rogat, ut propter pestem in Prussia et Lithuania in dies magis saevientem navigationem Regiomontum versus subditis suis Caunensibus, etiam Vilnensibus et ceteris, omnino prohibeant.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 220v-221r).*

*N. 6148*

*Ex arce Tapiau, 15.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Demetrio Solikowski, secretario regio,*
*nuntiat se litteras eius, quibus de prorogatione conventus in oppido Heiligenbeil celebrandi sibi perscripsit, accepisse et significat se ipsum propter* «contagium pestilitatis» *conventum illum proprio motu distulisse et procrastinasse.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2037.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 821-822).*

*N. 6149*

*Ex arce Tapiau, 15.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*palatino Brestensi [Ioanni Służewski]*
*significat se motu proprio conventum in oppido Heiligenbeil indictum* («Heiligenbeilischen landtagk») *propter grassantem pestem ad aliud tempus procrastinasse.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLII, N. 2036.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 219v-220r).*

*N. 6150*

*S.l., 22.X.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iob Breitfuss, burggravio Vilnensi, architecto regio,*
*rogat, ut Matthaeo Albrecht, Georgio Mayer, Georgio Jetschal et Georgio Schlager, pyxidariis* («buchssenmaister»), *infortunium passis, debita stipendia persolvat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 290-291).*

*N. 6151*

*Ex arce Tapiau, 5.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*iterum pro baronibus a Dohna intercedit et rogat, ut – si rex arces Seswegen et Laudon in compensationem praefecturae Novi Molendini eis ademptae ipsis concedere non possit – efficere tandem velit, ut eadem praefectura Novi Molendini absque ulteriore dilatione eis restituatur.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 827-829).*

*N. 6152*

*Ex arce Tapiau, 5.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz et Gregorio Chodkiewicz*
*iterum pro baronibus a Dohna (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, N. 2027.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 829-831).*

*N. 6153*

*Ex arce Tapiau, 9.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*litterae fidei pro consiliario suo Venceslao Schack a Stangenberg, in quibusdam negotiis ad regem misso.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, N. 1101.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 831-832).*

*N. 6154*

*Ex arce Tapiau, 10.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro Leonardo Willio (vel Wilde), cive Regiomontano, cuius causa cum Ioanne Spill, cive Caunensi, coram iudicio civitatis Regiomontanae ei intercedens, nunc autem contra rescriptum regium ad tribunal regium evocata est, intercedit et rogat, ut – cum eiusmodi causae evocatio dicto Willio maxime incommoda et damnosa sit – efficere velit, quo* «causa hic agi coepta, huc a S. Regia Vestra Maiestate remittatur».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXII, NN. 980, 1061.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 841-842).*

N. 6155

*Ex arce Tapiau, 10.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, cancellario [Valentino Dembiński]*
*litterae fidei pro consiliario suo Venceslao Schack a Stangenberg, ad conficiendum negotium quoddam, ad* «nobilem familiam Zemarum» *attinens, ad regem misso.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 832-833).*

N. 6156

*Ex arce Tapiau, 14.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*gratias agit, quod rex consilium suum in conficiendo negotio Pauli Wobeser, scil. quid hac in parte duci Pomeraniae respondendum sit, requirat; respondet sibi videri intercessionem eiusdem ducis et supplicationem ipsius Wobeseri eo spectare, ut militari vinculo, quo regi obstrictus est, solvatur et liberetur, totaque causa iuxta pacta Pomeranica diiudicetur; consulit ergo regi, ne eiusmodi postulationi assentiatur.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1093.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 833-836).*

Serenissime Rex *etc.*

Quod S. Regia Maiestas Vestra ea omnia, quae ab Illustrissimo Principe ac Domino, Domino Barnimo Duce Pomeraniae etc., mihi communicare dignata est, meumque de eodem negotio ad me potissimum spectante consilium, ut quid Illustritati eius respondendum sit secum statuat, requirat, pro eo maximas S. Regiae Maiestati Vestrae ago gratias propensamque regiam inde clementissimam erga me voluntatem abunde percipio. Et quidem agnosco mei officii esse S. Regiae Maiestati Vestrae cum in omnibus aliis, tum praecipue in hoc Wobesseriano negotio pro virili, quid de eo censeam, communicare. Verum in hac mea senili imbecillitate ac tenuitate iudicii mei S. Regia Vestra Maiestas veniam mihi dabit, si expectationi illius non satisfecero, ipsaque pro summa sua prudentia id statuet, quod ex dignitate sua regia et ex re quoque mea esse censuerit. Video intercessio-

nem Illustrissimi Pomeraniae Ducis supplicationemque Wobesseri eo spectare, ut Wobesserus militari vinculo, quo S. Regiae Vestrae Maiestati astrictus est, exolvatur totaque causa, quae mihi cum eo satis graviter intercedit, ad commissarios iuxta Pomeranica pacta transferatur diiudicanda. Cui postulationi ut S. Regia Maiestas Vestra adsentiatur, nequaquam probare possum. Alienum enim videtur a S. Regiae Maiestatis Vestrae dignitate et authoritate Wobesserum ea obligatione, qua erga S. Regiam Maiestatem Vestram tenetur, eximere et huius causae disceptationem a S. Regia Maiestate Vestra ad arbitros extraneos transmittere. Tametsi enim pacta Pomeranica mihi nota non sunt, tamen non existimo hanc causam Wobesserianam illis comprehendi, sed potius disceptationem de finibus deque iis, quae occasione finium et finitimorum locorum inter vicinos emergunt, illis contineri.

Quare nulla iusta ratione causa Wobesseriana iuxta pacta Pomeranica per arbitros decidenda postulari videtur. Ac S. Regiae Maiestati Vestrae pro officio et fide mea consulo, ne hoc exemplo committat, ut in posterum alii quoque se iurisdictione S. Regiae Maiestatis Vestrae in similibus factis eximant, authoritatemque regiam et fidem datam negligenter habeant. Rectissime igitur S. Regia Maiestas Vestra fecerit, si huius negotii Wobesseriani diiudicationem sibi reservaverit ac pro iure et authoritate sua flagitaverit, ut Wobesserus datam fidem praestet seque ad certum diem, quem S. Regia Maiestas Vestra illi designare suo arbitratu potest, coram S. Regia Maiestate Vestra vel illius commissariis sistat, controversiaeque, quam mecum habet, exitum expectet. Quod ad me attinet, non recuso S. Regiae Maiestatis Vestrae arbitrium. Et quanquam gravis causa est, tamen non difficulter patiar eam arbitrio S. Regiae Maiestatis Vestrae dirimi ac componi, modo id, quod Wobesserus in numerata pecunia accepit nec in milites expendit, restituatur et de iniuriis et damnis satisfiat. Datae.

Doctor Jonas

*In folio separato:* Regi Poloniae, XIIII Novembris anno 67. Tapiau.

*N. 6157*

*Ex arce Tapiau, 14.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Plocensi [Petro Myszkowski]*
*significat se in negotio Wobeseriano regi, iudicium suum petenti, respondisse consiliumque dedisse, ut auctoritatem et dignitatem suam regiam tueatur et fidem a Wobesero datam sibi servari postulet; rogat itaque, ut omnem det operam, quo rex in ea sententia*

*persistat, ne Wobesero alia ulla quam coram rege hanc controversiam disceptandi via aperiatur; episcopi Plocensis dignitatem in eum collatam ipsi gratulatur.*

*Cfr. El. XLII, N. 2035.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 836-839).*

Reverende Domine etc.

Quanta studio et cura Reverenda Paternitas Vestra molestissimum illud negotium Wobesserianum integrum ad nos deferri nobisque participari ea, quae ad S. Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, Illustris Dominus Barnimus, Dux Pomeraniae, perscripsit, effecerit, non solum ex literis Reverendae Paternitatis Vestrae, sed multo magis re ipsa percepimus, eoque nomine profitemur nos Reverendae Paternitati Vestrae perpetuam gratitudinem debere. Cum autem S. Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, nostrum ea de caussa Pomeranica iudicium petat, legimus et, quantum quidem per imbecillitatem virium et ingenii potuimus, expendimus diligenter ea omnia, quae ex Pomerania ad S. Regiam Maiestatem eo nomine perlata sunt, ac sentimus nihil aliud a Wobessero, quam diverticula quaeri, quibus se vinculo et nexu, quo S. Regiae Maiestati obstrictus est, extricet et sponsionem a se factam eludat atque irritam faciat. Quod cum nequaquam ei concedendum esse existimemus, hoc consilii S. Regiae Maiestati dedimus, ut et suam auctoritatem atque dignitatem tueatur et fidem datam a Wobessero servari exacte postulet, sicut haec omnia Reverenda Paternitas Vestra ex literis ad S. Regiam Maiestatem a nobis scriptis cognoscet. Quare Reverendam quoque Paternitatem Vestram sollicite rogamus, det omnem quam potest operam, ut S. Regia Maiestas in hanc sententiam adducatur in eaque persistat, ne Wobessero alia quam coram S. Regia Maiestate disceptandi et hanc controversiam, quam nobiscum sustinet, explicandi via aperiatur. Qua in re nobis Reverenda Paternitas Vestra tam gratum fecerit, ut summi beneficii loco id semper habituri et vicissim omnem diligentiam et operam adhibituri simus eius omni bene merendi voluntate recompensandi.

Cognovimus etiam Reverendam Paternitatem Vestram ad praecipuum ecclesiasticae dignitatis fastigium evectam et in praesulem Ecclesiae Plocensis creatam esse. Quod quidem officium ut in Ecclesia Dei magna dignitate et summa pietate et sanctimonia coniunctum est, ita commodis Reipublicae Christianae et gloriae divinae propagandae, tum etiam honori et emolumento Reverendae Paternitatis Vestrae eiusque generosae familiae magnopere utile esse ex animo optamus. Ut enim ab eo tempore, quo primam notitiam cum Reverenda Paternitate Vestra contraximus, eidem propter tantas ingenii

dotes et excellentem virtutem ac pietatis amorem summam fortunarum accessionem et honoris incrementum favimus, ita nunc non possumus non magnam laetitiam et voluptatem ex eo, quod Reverenda Paternitas Vestra novis honoribus aucta est, percipere. Deum igitur Optimum Maximum serio precamur, ut hoc honoris ac dignitatis fastigium, in quod Reverenda Paternitas Vestra evecta est, velit esse faustum, felix, salutare et utile tam suae Ecclesiae quam Reipublicae atque universae generosae familiae Reverendae Paternitatis Vestrae, eamque ad longissima tempora in nova adepta dignitate salvam, felicem ac sospitem tueatur atque conservet. Bene ac feliciter Reverenda Paternitas Vestra valeat, nosque ac negotia nostra diligenter commendata habeat. Datae.

*In folio separato:* Episcopo Plocensi, XIIII Novembris anno etc. 67, ex arce Tapiau.

*N. 6158*

*Ex arce Tapiau, 28.XI.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Plocensi [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, R.P. cancellario [Valentino Dembiński]*
*pro subdito suo Iacobo Brandt et eius coheredibus, quibus causa est de hereditate quadam cum cive Gedanensi Reinholdo ab Holten, iterum intercedit et rogat, ut in expediendo hoc negotio, denuo per appellationem ad tribunal regium devoluto, eis adiumento sint (cfr. NN. 6059, 6060).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 839-840).*

*N. 6159*

*S.l., 19.XII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Adamo Phytkowski (?), capitaneo Lomzensi,*
*pro subdito suo Ioanne Schmidt intercedit, ut ei decem boves, ex non persoluto debito vectigali ablatos, nunc autem accepto iam debito vectigalis pretio restitui procuret.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 845-846).*

*N. 6160*

*Ex arce Tapiau, 21.XII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*significat se consiliarium suum, Venceslaum Schack a Stangenberg, cum quibusdam negotiis, tam ad se quam ad regem pertinentibus, ad regem ablegasse; rogat ergo, ut – si regem ab aula abesse contigerit – epistulas eidem consiliario suo commissas ipse resignet, perlegat et deinde omnia regi diligenter referat et exponat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 221v-222r).*

*N. 6161*

*Ex arce Tapiau, 27.XII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Myszkowski, palatino Cracoviensi,*
*nuntiat se eius ex fratre nepotem, sibi per litteras commendatum, in album servitorum filii sui ascripsisse.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLII, NN. 2015, 2040.*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 846-847).*

*N. 6162*

*Ex arce Tapiau, 29.XII.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat sibi relatum esse responsum regium, internuntio suo Venceslao Schack in negotio baronum a Czema datum; cum tamen id* «praeter spem optatam sententiam non contineat», *se existimasse scribit regem iterum ea de re per eundem internuntium suum compellandum esse (cfr. NN. 6153, 6155).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 847-848).*

# 1568

*N. 6163*

*Ex arce Tapiau, 7.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*capitulo Vladislaviensi*
*pro servitore suo Bartholomaeo Metzler alias Czudnikowski nuncupato, cui Ioannes Stróżewski, subditus eorum, aere alieno, videlicet 60 talerorum, adhuc obstrictus est, intercedit et rogat, ut eidem Stróżewski serio iniungant, quo illos 60 taleros, absente Metzler, senatui Vladislaviensi absque longiore dilatione numeret ac deponat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, f. 859).*

*N. 6164*

*Ex arce Tapiau, 7.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*senatui Vladislaviensi*
*pro servitore suo Bartholomaeo Metzler alias Czudnikowski. qui ante biennium a cive Covaliensi Matthia Ursulska bona quaedam immobilia emit, sed – licet partem pecuniae, scil. 68 florenos, pro eis numeraverit – bonorum istorum traditionem et possessionem hucusque consequi non potuit, quare pecuniam suam repetere constituit, intercedit et postulat, ut absente servitore suo illam pecuniam ad manus suas recipiant; similiter rogat, ut a subdito capituli Vladislaviensis, Ioanne Stróżewski, summam 60 talerorum, eidem servitori suo Bartholomaeo Metzler debitam, recipiant et tanquam depositum apud se retineant (cfr. N. praeced.).*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 860-861).*

N. 6165

*Ex arce Tapiau, 16.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntiat se Abrahamo baroni a Dohna potestatem fecisse, ut in negotiis suis ad regem proficisceretur; cum tamen ipse hoc servitore suo diu carere non possit, rogat, ut eum rex clementer exaudiat et quam primum ad se remittat.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 861-862).*

N. 6166

*Ex arce Tapiau, 16.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,*
*rogat, ut cubiculario suo, baroni Abrahamo a Dohna, in quibusdam negotiis suis ad regem profecto, adiutorio sit, quo negotiis suis recte confectis quam primum et citra dilationem ad se redire queat* («aegre enim in hac gravi senecta nostra variis incommodis obnoxia opera eius carere possumus»).

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 862-863).*

N. 6167

*Ex arce Tapiau, 16.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*rogat, ut apud regem efficiat, quo cubicularius suus Abrahamus a Dohna, qui in quibusdam negotiis suis ad regem se contulit, quam primum – negotiis suis ex sententia expeditis – domum remittatur (cfr. N. praeced.).*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, f. 224r-v).*

*N. 6168*

*S.l., 21.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Catharinae reginae Poloniae*
*pro litteris reginali erga se clementia et benevolentia reduntantibus gratias agit et valetudinis suae statum narrat; se unicumque filium suum ei commendat et rogat, ut se et eundem filium suum fratri suo, imperatori Maximiliano, commendare velit; ungulas alcium et sucinum album, quae petebat, dono mittit.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1095.*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 214v-218r).*

Durchlauchtige furstin, grossmechtige konigin.

E.Kö.Mt. wunsche ich neben erbittung meiner schuldigen pflicht, dienstwilligen gehorsambs und was ich in angeborner freundtschaft viel ehern, liebs und guts vermagk, von grundt meines hertzens, das E.Kö.Mt. diss durch die gnade und barmhertzigkeit Gottes erlebtes 68$^{ste}$ jar gesundt, frölich und gluckselig sein und sie solche gnaden- und freudenreiche, herliche, tröstliche zeit noch in viel jar und oft, Gott dem allerhohesten und seinem einigen son Jesu Christo, der gantzen weldt heilandt und erlöser, zun eheren und E.Kö.Mt. zur sehelen heil und seligkeit erleben mögen. Amen.

Gnedige und freundtliche, liebe fraw, mhume und geschwei.

E.Kö.Mt. schreiben, den 25 tagk Octobris vorflossenen 67 jares zu Wien datirt, habe ich empfangen, nicht ohne grosse freud und ergetzligkeit in diesem meinem hohen und schweren alter und harten leibes schwacheit gelesen und inhalts, sowol auch von dem edlen, meinem besondern lieben Fabian von Czemen[1] etc., aus seiner mundtlichen von E.Kö.Mt. ime befholenen werbung E.Kö.Mt. gemuts meinung, auch ire zu mir und den meinigen tragende gnedige zuneigung und gewogenheit (wie mir auch vorhin mher als uberflussig bekandt) vorstanden und vormerckt. Sage anfencklichen dem allerhohesten frommen Gott unaufhörlichen lob, eher und danck, das seine almacht, der ein geber alles gutten und wolfarth ist, auch leben und sterben in seinen henden hat und beede, gesundt und kranck, nach seinem gnedigen väterlichen willen machen kan, E.Kö.Mt. in diesen gefherlichen und geschwinden zeiten bis hieheer so gnedig und veterlich erhalten, behuttet und bewahret hat. Nachmals dancke auch E.Kö.Mt. ich undertheniges hohes fleisses fur das schriftliche gnedige und freundtliche ersuchen, sowol das sie wegen meines zustandes also gnedigklichen sorgfeltig und ob meiner gesundtheit dermassen aus rechtem zugeneigten königlichen gewogenen hertzen und gemute frolocken. Habe mich damit in dieser meiner teglichen leibes

schwacheit hoch getrostet, und das E.Kö.Mt. mein mit so konigklichen gnaden ingedenck und von hertzen gefreuet, der treue Gott wolle E.Kö.Mt. davon in diesem und jenem konftigen leben ein reicher belohner sein und E.Kö.Mt. an leib und sehele hie zeitlichen und dort ewigklichen stercken und ie auf dieser weldt seiner heiligen christlichen kirchen, mir und meinem son, auch allen andern guthertzigen zu troste noch lange fristen und fur leibes und der seelen gefhar väterlichen behutten und bewaren. Amen.

Und alsdan E.Kö.Mt. sie, wie es umb meinen zustandt numher gelegen, wisshaft zu machen begeren, sol derselben ich dienstlichen nicht pergen, das ich numher tagteglichen schwach und kranck und nirgends, dan allein wohin man mich hebet, legt und tregt, kommen kan, sich auch ie lenger ie mher mit mir zur erden nahet, wie ich mich dan meinem getreuen Gott auch gar und gantz befholen und ergeben. Der wolle es zu seinen ehern und also mit mir ordenen und schicken, wie es ime wolgefeldt, und das mirs fur allen dingen sehelig sein möge. Wie alt, kranck, schwach und unvermögende aber ich bin, wollen doch E.Kö.Mt. mir zutrawen, das dieselbe ich nimmer als die ich weiss mir mit allen königlichen gnaden und gutten furder woll gewogen und zugethaen, aus meinem hertzen lasse, ja teglichen meinem lieben Gott in meinem gebete mit seuftzen befhele. Bitte auch zum underthenigsten, E.Kö.Mt. wollen auch (wie ich dan nicht zweiffele) als die gnedige und freundtliche liebe fraw, mhume und geschwey bey irem ie und allewege zu mir getragenen kö. gnedigem hertzen und gewogenheit bis in meine gruben pleiben und sich davon durch nichts bereden oder bewegen, sondern ihr bey derselben hern brudern, der rö.kay.mt.[2], meinem allergnedigsten hern, mich, meinen einigen lieben son[3], mein lande und leute in kö. gnaden befholen sein lassen, unser stets im besten gedencken und als trewen gnediges fleisses befurdern helfen, ob ich noch bei meinem leben der beschwerlichen unverschuldeten acht, die mich unter anderm nicht weinig, sonder hart und seer krancket und betrubet, entnommen werden und mein son, wans dem allerhöchsten Gott gefellig, meine arme lande und leute mit desto geruheterm und frölicherm hertzen und gemute auferben und mit mherer sanftmuth von dieser weldt seligklichen abscheiden möchte.

Die von E.Kö.Mt. begerte elendsklauen sampt den davon gedreten ringlein, sowol den weissen bornstein, thue E.Kö.Mt. ich eines iglichen soviel, als ich fur diesmael, sonderlich des bornsteins, gehabt, doch rechtfertige und von zu rechter zeit geschlagenen elenden klawen hiemit gehorsamblich ubersenden, underthenigstes fleisses pittend, dasselb von mir gnedigklichen fur lieb auf und anzunemen, doch fur kein geschencke, dan allein mein treues, underthenigstes, dienstliches hertz und gemuth dabey zu erkennen und zu spu-

ren. Do Gott wolte, das E.Kö.Mt. ich in eim mehern und grössern underthenigen, dienstlichen und beheglichen willen erzeigen könte, solten E.Kö.Mt. mich nurt in allem möglichen willig und gantz geneigt befinden.

Hiemit befhele E.Kö.Mt. ich in den schutz und schirm Emanuelis, des heilandes und seligkmachers der gantzen weldt, der wolle E.Kö.Mt. durch seine lieben engele, welche uber seiner gnadenreichen geburt und menschwerdungk den herlichen, schönen und tröstlichen lobgesang gesungen, auf seinem wege fur und fhur leiten und furen, bey der rechten erkandten und bekandten warheit bis ahn E.Kö.Mt. ende bestendigklichen erhalten und in diesem leben alles, was E.Kö.Mt. vonnötten, gnedigklichen geben und mitteilen, darnach auch zu einem miterben in seines vatern reich, das er uns so teuer erworben, aufnehmen. Amen.

Commissio Principis, referente Cancellario[4)]
Princeps, audientibus Truchselio[5)] et ceteris,
audivit et probavit
Do. Secretarius Caspar Dargitz

*In folio separato:* Ahn die konigin zu Polen etc., den 21 Januarii anno 68.

1) *Filius Achatii, palatini Marienburgensis, capitaneus Stumensis.*
2) *Maximilianus II.*
3) *Albertus Fridericus.*
4) *Ioannes a Kreitzen.*
5) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg, curiae magister.*

*N. 6169*

*S.l., 22.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Erhardo a Kunheim*
*nuntiat se a Camera Imperiali duas diversas citationes obtinuisse, sibi iniungentes, ut in controversia, quae cum Paulo Wobesero sibi intercedit, 23 die Februarii et 8 Martii proxime futuro, una cum quibusdam consiliariis suis, coram iudicio eiusdem Camerae Imperialis compareat, et rogat, ut apud reginam Poloniae causam hanc suam ita commendet, quo a fratre suo, imperatore Maximiliano, eiusmodi illegitimarum citationum, a Wobesero fraudulenter extortarum, abrogationem et cassationem totiusque causae ad iudicem competentem, id est ad regem Poloniae, devolutionem, impetret.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1103.*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 218r-221r).*

Unsern gruss und gnedigen willen zuvor.

Erbar, lieber, getreuer.

Was wir dir hiebevor wegen des schweren handels, so uns mit dem unpilligen, eigennutzigen menschen, dem Wobesser, vorfelt, schreiben und begeren lassen, zweifeln wir nicht, sey dir vorlengst wol zukommen, auch unserm gnedigen begeren von dir trewes underthenigs fleisses nachgesetzt. Nachdem wir aber nicht wissen, wie, aus wes ursachen oder wie es zugehet, in langer zeit numher kein schreiben von dir empfangen und uns diese gelegene botschaft ufgestossen, haben wir nicht umbgehen konnen, dis unser schreiben an dich mitzuschicken. Und konnen dir gnediger meinung nicht pergen, das unlangst vorschiener zeit ein reitender cammerboth unsers abwesens zu Konigspergk ankommen und 2 unterschiedliche kay[serliche] citationes, darin wir in sonderheit, sowol viele unserer rethe, diener und underthanen, auf den 23sten Februarii und 8 Martii negstkonftigk des Wobessers halben an das kayserliche cammergerichte citiret und gefordert worden, unsern heimgelassenen haushaltern, die doch solcher oder anderer dergleichen hendel halben keinen befhelich gehabt, sowol auch und daneben ein mandatum, seine, des Wobessers, alhie angehaltene rustwegen, pferde und was dabey gewesen, ime wiederzukehren, insinuiret und uberantwortet. Die dan, ob wirs woll nicht schuldig gewesen, Wobesser auch uber das der kö.mt. zu Polen etc., unserm gnedigen und freundtlichen lieben hern öhemen, als vorigs unser schreiben an dich und dein daneben uberschickter bericht ausweiset, mit handt und munde, auch schriftlichen bey seinen adelichen eheren und treuen sich vor irer mt. wiederumb gewislichen zu gestellen, daselbst recht zu geben und zu nehmen und des handels ab und auszuwarten, versprochen, angelobt und zugesagt. Doch der ro.kay.mt.[1]zu hohen eheren angenommen und uns ferner zugesagt worden. Derowegen wir dan die tage ferner beschwer uber vorige ausm Römischen Reich zu vorkommen und zu vorhutten, imands der unserigen neben der kö.mt. zu Polen etc. hochgedacht gesandten, doch anders nicht, dan allein de incompetentia iudicis zu excipiren und forum zu declariren, auch do daruber weiter darin procediret oder etwas vorgenommen wurde, davon, so oft es vonnöten, zu protestiren, abfertigen mussen.

Nachdem wir aber, als dir wol bewust, wegen der lande Preussen mit unsern underthanen nicht undter das Römische Reich, dan allein undter die kö.mt. und Cron Polen als unsere wegen Preussen unmittelbare obrigkeit gehören, do wir dan zu gestehen und recht zu geben und zu nehmen uns mher als einsten erbotten und noch erbuttig sein, derowegen und weil wir also mit unsern landen Preussen und derselben underthanen des cammergerichts bothmessigkeit nicht undterworfen, Wobesser, do er anders das recht nicht schewet

und aufrichtig handelen wollen, auch obgedachtem seinem beede schrift- und mundtlichen gethanen gelubde nach doselbst bey der kö.mt. und Cron Polen sein vermeintes recht gesucht und abgewartet und sich in fremder herschaften jurisdiction oder gerichtszwangk nicht gezogen solte haben, so begeren wir and dich gantz gnedigklichen, du wollest solchs und wie wir, auch unsere rethe, dienere und underthanen in dem fhal von dem cammergerichte und dem Wobesser wieder die pilligkeit beschweret und beunruhiget, kö.mt., die konigin zu Polen etc.[2], unsere gnedige, freundtliche und geliebte fraw, mhume und geschwey, mit fleis und sonderlich des, wes Wobesser sich als mher gewhenet, gegen irer mt. geliebten hern und gemael, der kö.mt. zu Polen etc., stadtlichen bey eheren und trewen obligiret und doch nicht gehalten; daruber auch noch uns in fremde bothmessigkeit zu ziehen understanden, berichten und ire mt. pitten, sie wollen bey irem hern brudern, der rö.kay.mt. etc., unserm allergnedigsten hern, eine treue befurderin sein und anhalten, damit ire kay.mt. dem cammergerichte nicht allein weiter in der sachen zu procediren inhibire, sondern auch die ausgangenen citationes oder ladungsbriefe, desgleichen die mandata cassire und die sache ad iudicem competentem, dohin sie gehöret, und do sich Wobesser denselben auszuwarten und recht zu geben und zu nehmen so stadtlichen obligiret, vorwilligt und vorschrieben, remittire; dem Wobesser auch ferner in nichte einigen gehör gebe noch glauben beimesse. Des hastu den dir vorhin zugeschickten bericht bey irer mt., der königin, und auch sonsten, wo es vonnöten und bewandt, zu gebrauchen und unser bestes allenthalben zu wissen und zu fordern, wollest auch bey der königin unser stets im besten gedencken, irer mt. uns und unsern geliebten son commendiren, und das ire mt. unser bey der rö.kay.mt. nicht vorgesse, sondern derselben uns allewege ins treulichste und fleissigste befhele, ohne undterlass und wan du sihest, das gelegenheit darzu, instendigk anhalten und uns ieweilen, wan dir bothschaft gestadtet, mit deinem schreiben besuchen und aller gelegenheit, furnemblichen aber der, daran uns gelegen, teilhaftig machen. Solchs alles seindt wir umb dich in gnaden und allem gutten zu gedencken geneigt und dir gnedigst gewogen und zugethaen. Datum.

Commissione Principis per Cancellarium[3]
Princeps audivit et probavit, praesentibus
Achatio a Dohna, Truchselio[4] et ceteris
Do. Secretarius Caspar Dargitz

*In folio separato:* An Erharden von Kunheim, ko.mt. zu Polen etc. secretarien, den 22 Januarii anno etc. 68.

1) *Maximilianus II.*
2) *Catharina.*
3) *Ioannes a Kreitzen.*
4) *Ioannes Iacobus Truchsess.*

*N. 6170*

*S.l., 23.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*consulibus Caunensibus*
*pro subdito suo, cive Cnipaviensi Ioanne Wiedert, pictore, qui a. 1564 concivi eorum, Iacobo Hofman, 20 lastos salis vendidit, 10 lastos eiusdem salis ei Caunam misit, residuam vero partem propter grassantem pestem et viarum ac passuum occlusionem suppeditare non potuit et nunc ab eodem Hofman fraudis accusatur.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 231v-233r).*

*N. 6171*

*S.l., 31.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*ei petenti, ut bona, sibi olim a Gabriele Tarło testamento legata, certis condicionibus in arendam obtinere possit, respondet se, quamprimum de fructibus et reditibus eorundem bonorum a consiliario suo, Christophoro Alzunio, certior factus fuerit, certum hac in parte responsum daturum esse, et rogat, ut se de hac parva mora excusatum habeat; negotium baronum a Dohna et Czemarum iterum commendat.*

*Cfr. El. XLII, NN. 2038, 2049.*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 233r-235r).*

An Johan Dulski, den 31 Januarii anno etc. 68.
Unsern grus und gnedigen willen zuvorn.
Ernvester, besonder, lieber.

Wir haben kurtz vorruckter zeit ein schreiben von euch durch euren dienern empfangen und daraus, wes ir uns und den unserigen wunschen, auch euch erbitten, sowoll auch wegen der von seligen herrn Terla hievorn uns vortestirten guttern in Littauen[1)] an uns zum dinstlichen bitten und begeren thut, nach lenge vorstanden und eingenommen. Thun uns anfengklichen wegen des frolockens, gluckwunschens und erbittens gegen euch gantz gnedigklichen bedancken. Und wunschen euch hinwiederumb alles, was euch selig ist und ir von dem lieben Gott selbst begeret und bittet. Und so wir dan bekennen mussen, das ir uns und den unserigen je und allewege viel gedienet, euch auch alle zeit als den gutten freundt, gonner und forderer

nit allein an uns, sondern auch an unsern getreuen lieben underthanen, sonderlich aber den hern von Dohna, wie auch neulicher zeit geschehen, ohne zweifel nurt umb unsernt willen erzeiget und bewiesen, wolten wir uns gerne obgewhenter gutter halben alsbaldt gegen euch entlichen und schlislichen erkleren. Weil wir aber der einkonften und nutzungen nitt kundig, noch wie es sonsten allenthalben damit gelegen, anmerckende, das wir nitt bey unserer ordentlichen cantzlei und derhalben die hendel nit an der handt, wissenschaft haben, so haben wir unserm rath und diener Christophoro Alzonio[2], sich desselben und aller gelegenheit mit vleiss zu erkundigen und uns forderlichen gutten bericht davon thuen, dem Uberfelden[3] und Miloschefski[4] auch, weil ire zeit nuhmehr umb, die gutter an unser stadt ufzusagen, einzunehmen und bis uff fernern bescheidt und verordnung zu halten, in befhelich uferlegt. Sobalde uns nun solcher bericht einkompt, wollen wir uns gegen euch dermassen, damit ir unsere gnedige gewogenheit zu spuren, erkleren. Euch auch wol zugesagt haben, das ir solche gutter fur einem andern auf mass und conditiones, wie wir uns dessen mit euch werden vorgleichen konnen, haben sollet, gnediglich begerende, ir des kleinen verzuges keinen beschwer tragen, sondern solang mit uns zufrieden sein wollet.

Nachdem auch die herrn von Dona semptlichen in irem handel wegen des hauses Neuenmuhl, wie euch bewust, bishero zu keinem entlichen bescheidt kommen konnen, so sinnen wir gleichsfals an euch mit allen gnaden, ir wollet euch der gutten herrn noch weiter, wie bishero geschehen, annehmen, und damit sie doch furderlichen einen entlichen und gutten bescheidt und das irige wieder gelangen und bekommen mögen, ein gutter beforderer sein.

Schlislich haben wir auch mitleidtlichen erfharen, wie baufellig der gutten herrn, der von Dohna, handel stehet. Weil sich aber die ko.mt. etc., als wir berichtet, dahin erkleret, das sie ohne vorwissen und bewilligung der stende in der Cron nichts darin thuen oder willigen kondeten, und die von Czhema numher anders nicht pitten, dan allein das es bis uff einen gemeinen reichstagk suspendiret werden möge, so gelanget an euch in gleichen unser gar gnediges begeren, ir wollet euch die gutten herrn, soviel an euch, umb unsernt willen im besten lassen befholen sein und befordern helfen, wo nit mher zu erhalten, das nur der handel bis uf einen gemeinen reichstagk verschoben werde. Das seindt wir etc.

Georgen Osterburger

1) *Agitur de bonis Góry prope Vilnam et curia Vilnae sita, duci Alberto a Gabriele Tarło testamento legatis.*

2) *consiliarius et orator ducis Alberti.*

3) *Valentinus Uberfeldt (vel Oberfeldt), praefectus silvarum Magni Ducatus Lithuaniae.*

4) *Stanislaus Miłoszewski, secretarius regius, exsecutor testamenti Gabrielis Tarło.*

*N. 6172*

*S.l., 31.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*pro subdito suo Theodorico Liebstan, institore et oppidi Wehlau incola, a Iudaeo quodam, in oppidulo Worbelin teloneatore, in solvendis teloneis vexato et defraudato, intercedit et rogat, ut pro eo operam suam apud regem interponat, quo merces ablatae ipsi restituantur.*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 235r-237r).*

An Johan Dulski, kö. hoffdiener, den 31 Januarii anno tec. 68.

Unsern grus *etc.*

Wir konnen euch in gnaden nicht pergen und unangezeigt nit lassen, das sichs kurtz verruckter tage, als den 23$^{sten}$ ditz monats Januarii, mit einem Jueden zu Worbelin und unser armen underthanen und burger unserer stadt Welaw einem, mit nahmen Ditterich Liebstan, als wir von demselben durch ein supplication berichtet, zugetragen. Nachdem gedachter unser underthan, als ein kramer, seiner narung nach zogen und in das stedtlein Worbelin in Littuaen den 23 Januarii gegen abent kommen, und als er aldo den czol nit furuberziehen, sondern sich bey dem Jueden, welcher den zoel in verwaltung haben solle, anzeigen wollen, ist er zu ime gangen und ine gesucht, hat inne aber denselben abent nit zu hauss funden. Ist derowegen in Lucas Walthers behausung ins stedtlein daselbesten eingekert und die nacht uber alda verharret. Folgenden tag ist er frue wiederumb zum Jueden gangen, do er in dan gefunden und, das er sein kram und whar, wie gebreuchlich, verzollen wolte, angesprochen. Worauf der Jude geantwortet, es were der tagk sein sabat, könte derowegen dessen nicht gewarten. Damit aber unser underthan indess marckt halten und seine bei sich habende wahren verkaufen möchte, hat er den Jueden gebeten und darzu vermöcht, das er mit ime in die herberge gehen und sein kasten besehen solte. Welches dan der Juede gethan und mit ime gangen. Sobalde aber der Jude unsers underthanen kasten ansichtigk worden, solle er den schlussel dazu begeret und folgent mit unserm underthan einen vertrag gemacht haben, also das unser underthan marckt halten möchte, nach gehaltenem marckt aber dem Jueden etlich geldt geben solte. Wie solches unser underthaen zu bezeugen, auch dessen ein schriftlichen schein hat.

Als aber des Jueden sabath vergangen, solle der Juede mit viel volckes in des kramers herberge eingefallen sein und ime seinen ka-

sten uber den gemachten vertrag, darinnen 200 fl. an barem gelde, ohne der wahren, welche in die 1600 fl. werth sein sollen, mit gewalt hinweggenommen haben. Und wan obgedachter Lucas Walther, des kramers wirth, fur seine zwei gutte rosse nicht handtstreckung gethan, hette sie der Jude auch hinwegnehmen lassen. Und hat der Jude dem armen manne solche seine genommene wahren uber alle erinnerung des gemachten vertrages nicht wiederkeren, sondern zuvor erstlichen 300 fl., hernach 200 fl. und letzlichen 100 fl., dabey es dan vorblieben, von ime haben wollen.

Weil dan solches oberzelte, wo sichs also erheldt, die hochste unbilligkeit und anders nichts, dan eine grosse zunottigung, in betrachtung, das unser underthan den zoel nicht verfaheren, sich auch aus dem stedtlein (wie er solches im fhal der noth zu beweisen urbittig) nicht begeben, so gelanget an euch unser gantz gnediges sinnen, ir wollet bey der kö.mt. und sonsten, wo es nöttig, mit fleiss befurdern helfen, damit unserm armen underthanen ernste mandata an den Juden oder den befhelichhaber, derorth ime seine genommene wahren, ohne einigen schaden gegeben, uberreichung des vertraggeldes wiederzukeren, mitgetheilet, der Jude auch umb solchen seinen mutwillen (wie billig) in geburende straf genommen werde. Abermals begerende, wollet euch den armen man umb unsernt willen lassen befholen sein, damit er wiederumb zu dem seinigen gelangen möge. An dem etc.

Georgen Osterburger

*N. 6173*

*S.l., 6.II.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Grajewski*
*ipsi postulanti, ut sibi dux omne ius, quod ad quosdam libertinos, circa lacum Skrinensem in districtu Liccensi possessiones suas habentes, obtinet, cedat et permittat, ut sibi liceat easdem possessiones ab illis libertinis aequo pretio redimere, respondet non posse illos, nisi magno cum rerum suarum detrimento, a castro suo Liccensi abesse; se igitur postulatis eius et commendationi regiae hac in parte satisfacere non posse.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 869-871).*

*N. 6174*

*S.l., 13.II.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro Ioanne Wolf* (Gvolfio), *fabro ferrario et tormentorum magistro, qui asserit* «patrem suum in districtu Mestobacensi et post eius e vita discessum itidem fratrem praedium quoddam... quiete semper possedisse», *intercedit et rogat, ut – si quod ius huic servitori suo ad istud praedium competat – id eum retinere patiatur, diploma enim, cuius vigore pater eius et frater illam possessionem obtinuissent, incendio conflagrasse et absumptum esse.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 817-872).*

*N. 6175*

*S.l., 14.II.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Miłoszewski, venatori Belzensi,*
*postulat, ut bona, sibi a Gabriele Tarło olim testamento legata, ei et Valentino Oberfeldt ad biennium, non ex aliquo debito, sed ex mera gratia concessa, consiliario et servitori suo Christophoro Alzunio una cum accurato rerum omnium inventario tradat.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 238r-v).*

*N. 6176*

*S.l., 14.II.1567.*

*Albertus dux in Prussia*
*Valentino Oberfeldt, secretario regio,*
*iubet, ut una cum Stanislao Miłoszewski bona sibi a Gabriele Tarło testamento legata servitori suo Christophoro Alzunio absque longiore dilatione tradat (cfr. N. praeced.).*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 238v-239r).*

*N. 6177*

*S.l., 14.II.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*significat se cognovisse Stanislaum Miłoszewski et Valentinum Oberfeldt bona sibi olim a Gabriele Tarlo testamento legata, eis ad biennium clementer concessa, servitori suo Christophoro Alzunio tradere nolle, et rogat, ut apud regem efficiat, quo dictis Miłoszewski et Oberfeldt eiusmodi bonorum celerem extraditionem et restitutionem serio mandare velit.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 239r-v).*

*N. 6178*

*Ex arce Tapiau, 20.II.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*pro nobili Ioanne Schedingk, Livoniensi, qui in obsidione arcis Schmeltzen in Livonia non solum fortunis suis omnibus exutus est, sed etiam in Moscoviam abductus captivitatem novennalem pertulit, intercedit et rogat, ut rex huius miserrimi viri calamitate motus clementem eius habeat rationem.*

*(Latine)*

*Conc., H B A, B, K. 1190 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 873-874).*

*N. 6179*

*Ex arce Tapiau, 7.I.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
«an die fraw Georgia grevin zu Schlochau» *[Georgiae, uxori Stanislai Latalski, capitanei Czluchoviensis]*
*gratias agit, quod se per internuntium suum inviserit et de valetudine sua certior fieri voluerit; excusat se, quod ad priores litteras eius prius non responderit; de valetudine sua scribit:* «wir mehern teils und fast fur und fur kranck und schwach und je lenger je schwecher werden, haben uns auch dem lieben Gott gar ergeben. Der wolle es mit uns zu seinen ehren und unserm besten schicken».

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 240r-241r).*

*N. 6180*

*Ex arce Tapiau, 26.II.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,*
*pro Ioanne Schedingk, Livoniensi, qui in obsidione arcis Schmeltzen in Livonia omnibus bonis suis spoliatus est, postea vero, arce a Moscovitis expugnata, in barbaram captivitatem Moscoviticam abductus, integros novem annos ibi transegit, intercedit et rogat, ut apud regem causam ipsius ita promoveat, quo aut bona sua ablata ei restituantur, aut alio modo damna accepta resarciantur (cfr. N. 6178).*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 298-300, et vol. 46, ff. 241r-242r).*

*N. 6181*

*S.l., 11.III.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Miloszewski et Valentino Oberfeldt*
*nuntiat se certiorem factum esse eos, spretis litteris suis 14.II. hac in re datis (cfr. NN. 6175, 6176), commissa eis ad biennium bona, a Gabriele Tarlo sibi olim testamento legata, servitori suo Christophoro Alzunio tradere noluisse; iubet igitur, ut absque longiore procrastinatione et tergiversatione bona ista, una cum accurato omnium rerum inventario, memorato servitori suo tradant et restituant.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 300-302 et vol. 46, f. 243r-v).*

*N. 6182*

*S.l., 13.III.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*Petrum Schlicht Krul, subditum suum, in quibusdam negotiis suis ad aulam regiam se conferentem, commendat et rogat, ut ei in iisdem negotiis celeriter et ex sententia expediendis adesse velit.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 244r-v).*

*N. 6183*

*S.l., 13.III.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*nuntiat ad se devertisse unum ex servitoribus ducis Finlandiae [Ioannis], in negotiis principis sui ad regem iter facientem; cum tamen ille festinanter a se discesserit, Grodnae primum subsistere et deinde ad aulam regiam iter pergere intendens, mittit litteras suas intercessorias pro illo scriptas, ut in suo ad aulam adventu eas apud ipsum praesto invenire possit.*

*(Germanice)*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 244v-245r).*

*N. 6184*

*S.l., 14.III.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*nuntium Ioannis ducis Finlandiae, cum quibusdam mandatis ad transigendum de pace cum rege Suetiae spectantibus ad regem missum, commendat et rogat, ut cum optato responso tempestive expediatur; de liberatione eiusdem ducis una cum coniuge, sorore regia, ex diuturna regis Suetiae captivitate gaudet et gratulatur.*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 879-880).*

Serenissime Rex etc.

Dedit ad me literas Illustris Princeps, Dominus Ioannes Finlandiae Dux, affinis et frater meus charissimus. Ex quibus magna animi laetitia percepi Illustritatem illius cum charissima coniuge, sorore Maiestatis Vestrae et consobrina mea charissima[1)], diuturna captivitate nunc tandem Dei beneficio liberatam esse ac misisse ad S. Regiam Maiestatem secretarium quendam suum cum quibusdam mandatis, ad transigendum de pace cum Serenissimo Rege Suetiae[2)] spectantibus, ideoque me rogare, ut hoc quicquid est negotii mea commendatione apud S. Regiam Maiestatem Vestram pro virili promovere atque tantum efficere velim, ut Illustritatis eius internuntius citra moram optato responso expediatur. Ut autem ex animo liberationem Illustritati eius coniugique illius et restitutionem in integrum gratulor, ita Deum serio invoco ac precor, ut Illustritatem eius cum coniuge et liberis charissimis in pristina libertate, dignitate, honore

et florentissima fortuna diu incolumem, sospitem ac salvam tueatur et conservet, omniaque ad communem pacem et tranquillitatem inter vicinos populos spectantia consilio, ope et opera Illustritatis eius feliciter conficiat. Mea sane commendatione Illustritas illius minime opus habet, cum sciam S. Regiam Maiestatem Vestram, pro summa humanitate et benevolentia sua proque arctissimo affinitatis et necessitudinis vinculo erga Illustritatem eius, omnia, quae recte fieri possunt, sua sponte facturam.

Si quid tamen mea commendatione ad eam benevolentiam et amorem, quo S. Regia Maiestas Vestra Illustritatem illius complectitur, accedere potest, etiam atque etiam enixe S. Regiam Maiestatem Vestram rogatam volo, ut in hoc internuntio commoda et tempestiva expeditione dimittendo amicissimam propensionem animi sui erga Illustritatem eius et quietis ac tranquillitatis publicae cupidam voluntatem suam ostendat atque declaret, in primis vero omnia consilia sua in hoc toto negotio ita moderetur, ut ne in pace cum Regno Sueciae constituenda quicquam admittatur, quo Serenissimus Danorum Rex[3] quoquo modo offensus aut a pactionibus exclusus videri, aut etiam foederis earumque sanctionum, quae cum S. Regia Vestra Maiestate sibi intercedunt, rationem habitam non fuisse ipsa Regia eius Dignitas merito queri possit. Quod S. Regiam Maiestatem Vestram pro singulari sua virtute et prudentia, me etiam tacente et commendationem monitionemque intermittente, facturam nihil plane dubito. Quam bene ac feliciter ad longa tempora valere ex animo opto. Datae etc.

Domino Curiae Magistro[4]
sic placuit

*Infra:* Regi Poloniae, XIIII Martii anno 68.

1) *Catharina.*
2) *Ericus XIV.*
3) *Fridericus II.*
4) *Ioannes Iacobus Truchsess.*

## *N. 6185*

*Tapiau, 14.III.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*queritur de responso commissariorum regiorum asserentium conventum Heiligenbeilensem, ipsis absentibus et insciis indictum, illegitimum fuisse, et in eiusmodi assertione iurium et libertatum suarum imminutionem se videre affirmat; excusationem eorundem commissariorum, scil. quod propter brevitatem temporis et metum contagii conventui interesse non potuissent, se acceptare non*

*posse scribit; gratias agit, quod commendationi suae pro Czemarum familia factae clementem rationem habere promiserit.*

*Cfr. El. XXXII, N. 1104.*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 881-886).*

Serenissime Rex *etc.*

Qui apud S. Regiam Maiestatem Vestram internuntius meus nuper fuit, Wenceslaus Schack, non solum literas S. Regiae Maiestatis Vestrae, sed etiam omnia ea, quae meo iussu cum S. Regia Vestra Maiestate coram egit, diligenter ad me remisit et perscripsit atque retulit. Ex quibus sane omnibus intelligo S. Regiam Maiestatem Vestram tam ex ratione consilii sui de mittendis ad conventus, quos superiori anno cum subditis meis habui, commissariis suis, quam ex iis, quae in conventibus istis cum Reipublicae commodo et tranquillitate constituta sunt atque ordinata, demonstrare velle non esse responsum commissariorum eorum, quod S. Regia Maiestas Vestra ad conventum Heiligenbeilensem ante paucos menses designaverat, in eam partem accipiendum, in quam ego quidem antea non sine gravi perturbatione accepi, nempe quod videbantur commissarii isti non obscure innuere non licere mihi, insciis ipsis, conventum subditis meis indicere, aut de rebus necessariis in conventu cum subditis meis in ipsorum absentia deliberare ac constituere.

Quod ad rationem consilii S. Regiae Maiestatis Vestrae de mittendis commissariis attinet, hoc mihi persuasum semper habui, optimo sane et propensissimo in me meosque subditos animo eam ab initio susceptam fuisse. Cum enim S. Regia Maiestas Vestra clementissima atque benevolentissima semper erga me fuerit voluntate, meque dignitatemque meam atque adeo iura mea summopere tutata sit, nec potui nec debui sane aliter de eo mittendorum commissariorum consilio statuere, quam quod res ipsa ostendit et S. Regia Vestra Maiestas tam literis suis perbenigne et amanter ad me scriptis, quam viva voce commissariorum suorum publice testata est. Itaque et gratias egi S. Regiae Maiestati Vestrae permagnas, quod bono et utili consilio mihi meisque prospexerit, et nunc etiam ago agamque, quoad vixero, maximas, quod meam salutem, dignitatem ac fortunas meas omnes non minus quam suam Regnique sui curae habuerit, magnopereque rogo, ut deinceps etiam S. Regia Maiestas Vestra me meosque subditos cum omni libertate, iure et immunitate tueri ac conservare velit. Quod quidem nunc eo magis mihi necessarium est, quod non obscure videam esse nonnullos, qui cum aperte convellere et labefactare libertatem, iura et praesentem statum rerum mearum non ausint, eaque in re nihil aliud quam S. Regiae Maiestatis Vestrae authoritatem revereantur, hoc tamen simulate agunt, ut salutis et dignitatis meae cupidi et fautores esse videantur, eoque praetextu

non parum de libertate, iure et dignitate mea subditorumque meorum decerpere atque imminuere conentur. Quod quidem non sine gravi dolore in hac mea decrepita aetate et sentire me et ferre atque dissimulare oportet. Ac nisi tantopere constans voluntas et perpetuus animus, clementia, bonitate, amore ac benevolentia summa erga me redundans, in S. Regia Maiestate Vestra cognitus mihi ac perspectus esset, dolores ac curae istae pergraves de tanta adversitate mea iam pridem me confecissent. Sed mitto querelas meque ac mea omnia, quae ad salutem, dignitatem, iura, privilegia et libertatem meam, filii mei[1)] subditorumque meorum spectant, clementissimae protectioni S. Regiae Maiestatis Vestrae in omnibus adversitatibus meis committo.

Ac nunc ad alteram epistolae partem, quae mitigationem responsi commissariorum continet, accedo. Etsi autem non ignoro nihil tam male dici, quod non commoda interpretatione leniri possit, nec in hac mea afflicta senectute tam impos animi sim, ut non intelligam et commissariorum excusationi, quare ad conventum venire non potuerint, aliquid tribuendum esse, et in ipsorum absentia non recte de his, quae in hunc conventum reiecta erant, tractari potuisse, tamen non potuit non molesta mihi esse et pergravis commissariorum non tam excusatio adventus atque postulatio suspensionis conventus, quam expostulatio et quasi increpatio mei meorumque consiliariorum, quod conventus Heiligenbeilensis ipsis insciis indictus fuisset. Deinde etiam quod ad consiliarios meos et ad omnes ordines privatim scripserunt illisque (nescio quo iure) inhibuerunt, ne conventum agerent, aut ipsis absentibus de ullis rebus in conventu tractarent aut statuerent. Haec enim quorsum spectent, nisi ut potestas mihi convocandi subditos ad certum deliberandi causa locum infringatur, utque subditi dicto meo oboedientes non sint, sed aliorum authoritate ducantur, plane non video. Quare veniam dabit S. Regia Maiestas Vestra iusto dolori meo, quem ex eiusmodi commissariorum responso et inhibitione concepi, quemque apud alium neminem quam apud S. Regiam Maiestatem Vestram, Dominum meum clementissimum et consobrinum charissimum, per tristem querimoniam internuntii mei effundere debui. Si enim commissarii tantum excusationem vel ex brevitate temporis vel ex periculo pestilentis contagii fecissent atque prorogationem conventus postulassent, vel etiam monitionem suam ad ea tantum, de quibus in proximo recessu, ut ipsis praesentibus ageretur, constitutum erat, restrinxissent, facile acquievissem. Sed meam authoritatem in indicendo conventu simpliciter imminuere et subditorum animos ab oboedientia mea alienare, hoc intollerabile plane minimeque ferendum videbatur.

Cuius vero consilio et instinctu et qua de causa haec ita acta sint, ego etiam et consiliarii mei in gravem suspicionem apud S. Re-

giam Maiestatem Vestram immerito atque innocenter adducti simus, non levi sane coniectura assequi possum. Brevitate quidem temporis vel metu contagii, quandoquidem fere integri mensis spatium intercesserat, et postea prorogatio ad dies octo accedebat et in locum omnis contagii expertem translatio conventus fiebat, commissarii minime a conventu exclusi fuissent. Nec a me vel a consiliariis meis, quod bona fide affirmare possum, quicquam in conscribendo hoc conventu aliud spectatum est, quam ut primo quoque tempore ea negotia, quae in hunc conventum reiecta erant, expedirentur et ego gravissimo aere alieno, quo Loytiis et Krakovio aliisque creditoribus cum magnis usuris, in dies magis magisque crescentibus, obstrictus sum, quam primum levarer, idque magnopere urgentibus et flagitantibus subditis meis omnium ordinum, qui nec opem nec auxilium mihi ullum praestare voluerunt, nisi mature conventus indiceretur.

Haec igitur unica causa et profecto alia praeter eam nulla fuit celerioris indictionis conventus, quod quidem S. Regiae Maiestati Vestrae pro fide et officio meo testatum facere possum. Quod autem consiliarii mei nescio cuius iniquitatis insimulentur, quasi prioris confusionis quam praesentis constitutae tranquillitatis cupidiores sint, in eo gravari eos omnino innocenter et praeter eorum culpam sancte affirmare possum. Omnes enim, quotquot nunc mihi a consiliis sunt, cupidissimo animo tranquillitatem colere, et ut ea constitueretur, commissariis et ope et consiliis et opera magno adiumento fuisse omnibus ordinibus subditorum meorum notum est. Quare S. Regiam Maiestatem Vestram, uti Dominum meum clementissimum et consobrinum charissimum, quanto possum maximo studio rogatam volo, ut et me de indicto conventu, quod nullo malo animo acceleratio facta sit, excusatum habeat et consiliarios meos omni suspicione iniqua liberet, qui certe hoc summo studio agunt, ut salutem et tranquillitatem Reipublicae, nunc Dei beneficio recte constitutam, unanimi studio et voluntate bene conservent et tueantur. Ceterum in nunc peracto conventu Rastenburgensi nihil istarum rerum, quae in Heiligenbeilensem conventum ad iudicium commissariorum et meorum consiliariorum reiectae erant, tractatum est, sed de aliis, quae sine commissariorum opera expediri poterant, deliberationes susceptae sunt. Quod tantum abest, ut S. Regiam Maiestatem Vestram offendere possit, ut internuntius meus significarit S. Regiam Maiestatem Vestram in eo plane acquiescere eaque omnia approbare. Quod mihi pergratum et iucundum accidit. Nam quemadmodum in omni vita authoritatem dignitatemque S. Regiae Maiestatis Vestrae plurimi feci, ita nunc in extremo actu vitae meae hoc mihi praecipuae curae erit, ut dignitatis S. Regiae Maiestatis Vestrae potiorem [quam] meae salutis rationem in omnibus rebus habuisse videar.

Quod S. Regia Maiestas Vestra in fine literarum suarum perbenigne ac liberaliter pollicetur se commendationis meae pro Zemarum familia factae clementissime rationem habituram, ex eo tantam voluptatem percepi, quantam ex re quavis ad salutem meam pertinente capere possem. Cum enim parens eorum[2] praeclare de Republica meritus sit, suaque virtute eas possessiones, de quibus nunc liberi periclitari dicuntur, adeptus eaque in re mea opera et intercessione non parum usus sit, non possum non summo gaudio affici, si mea commendatione ea bona retinuisse illos cognovero. Quare et gratias ago S. Regiae Maiestati Vestrae quantum possum maximas, quod clementissimo animo preces meas apud se alicuius momenti esse patiatur, et obnixe rogo, ut eadem clementia, benignitate ac liberalitate Zemarum familiam prosequatur, qua se meam commendationem precesque meas pro ea familia interpositas accipere profitetur. Quo beneficio S. Regia Maiestas Vestra universam familiam istam sibi perpetua gratitudine devinciet et me quoque, salutis illius percupidum, magna laetitia afficiet. Quam Deo Optimo Maximo ad divini nominis sui gloriam diu salvam ac florentem conservandam devote committo, eique me, filium meum unicum et subditos meos omnes submisse commendo. Datae in arce mea Tapiaw XIIII mensis Martii anno Domini MDLXVIII.

Eiusdem Sacrae R. Maiestatis Vestrae
subditus Princeps
Albertus senior, Dei gratia Marchio Brandenburgensis,
in Prussia etc. Dux etc.

*In folio separato:* Regi Poloniae, XIIII Martii anni MDLXVIII ex Tapiaw.

1) *Albertus Fridericus.*

2) *Achatius Czema, palatinus Marienburgensis († 1565).*

*N. 6186*

*S.l., 14.III.1568.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,*
*pro subdito suo Theodorico Liebstan, cui a Iudaeis in Novo Oppidulo aliquae merces fraudulenter ablatae sunt, denuo intercedit et rogat, ut operam suam pro eo apud regem, Eustachium Wołłowicz, Christophorum Konarski et alios interponat, quo res suas ablatas recuperare queat (cfr. N. 6172).*

*Conc., H B A, B, K. 1191 (et Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 245v-248v).*

An Johan Dulski, den 14 Martii anno etc. 68.

Unsern gruss und gnedigen willen zuvorn.

Ernvester, besonder, lieber.

Wir zweifeln nit, ir werdet euch, welcher gestalt wir den letzten vorschienen monats Januarii an euch wegen unsers armen underthanen, Ditrich Liebstans, welchem die Juden im Neuen Stedtlein, wieder Gott und alle pilligkeit und ohne alle ursachen, auch uber das mit den Juden gemachte gedinge und beredung, seine armuth, so er alda gehabt, mit gewaldt genommen, umb gutte beforderung bey der kö.mt., auf das er das seine, wie es pillig, wiederumb bekommen möchte, geschrieben und gebeten, guttermassen zu erinnern wisset. Nun seindt wir von dem edlen unserm cemmerer, Abraham burggraf und herr zu Dohnen, sowol dem supplicanten underthenigklichen berichtet, dass ir uf solch unser schreiben in seiner handlung ein gutter beforderer zum anfange gewesen, wofur wir euch dan gantz gnedigklichen danckbar, auch erbuttig, das sowol als anders gegen euch in allen gnaden in thunlichem zu erkennen und abzunehmen.

Wir konnen euch aber nachmals gnedigklichen nicht pergen, das obwol der arme man sich mit den durch euere beforderung erhaltenen konigklichen und andern briefen und mandaten nach dem Neustedtlein zum Juden begeben und das seinige gefordert, doch solches uber sein verhoffen und habende briefe nit erlangen oder wieder bekommen konnen, sondern ist seine armut weit uber die helfte und uf ein wenig nahe fast gar aussen kasten algereit herausgenommen und hin und wieder vorpartiret gewesen; das ubrige, so noch als gedacht im kasten gelegen, welches nicht uber 2 oder 300 gulden werth, hat man ime wol wiedergeben. Er dasselbig aber nit annehmen, sondern das seinige volkomlichen, wie es pillig, haben wollen. Daruber er dann bey den Juden in hoheste unsicherheit und leibes gefahr gerathen, wie ir solches aus beiliegender seiner uns ubergebenen supplication breidter zu ersehen. So es dan zu erbarmen, das man mit christen also umbgehen und einem armen manne das seinige so jemmerlichen, wieder Gott und alle pilligkeit, nurt aus lauterm durstfrevel, gewalt und muttwillen, ohne einige ursach genommen und mit alle den seinigen zum bettelstabe gebracht solle werden, dan der Jude nit erweisen, das unser armer underthan von den wahren einiges schillings werth, ehe dan er sie dem Juden angesagt, derselbe sie auch besichtigt, verkauft. Derentwegen je nicht gesagt kan werden, das er den zoll vorfahren oder underschlagen wollen.

Als haben wir nit underlassen konnen, noch einmals an euch zu schreiben. Und gelangt demnach an euch, denen wir wissen, das er das hoheste missfallen daran treget und uns und den unsrigen gerne dienet, unser gantz gnediges sinnen und begeren, ir wollet euch unsernt und der gerechtigkeit willen oft gedachtes unsers armen, bedruck-

